DE
HYDROPE UTERI
ET DE
HYDATIDIBUS
IN UTERO VISIS AUT AB EO EXCLUSIS,

AUCTORE

GERASIMO CONSTANTINI DE GREGORINI,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE.

ACCEDUNT TABULAE AENEAE,

VIVIS COLORIBUS DISTINCTAE.

HALAE,

EXSTAT IN LIBRARIA RENGERIANA

MDCCXCV.

65/5469

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY

VIRO

CELSISSIMO, ILLUSTRISSIMO

COMITI LUSI,

SUPREMO EXCUBIARUM MILITARIUM BORUSS. PRAEFECTO,
EQUITI ORDINIS MERITORUM,

GENTILI, FAUTORI ET MAECENATI

SUO LONGE GRATISSIMO,

HASCE

PIERIDUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE CUPIT ET OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quem hic publico eruditorum examini ſubmitto, commentariolus legibus academicis originem ſuam tribuit. Morbi deſcriptionem et theoriam continet, a plerisque auctoribus vel neglecti vel ſtrictim ac modice, quaſi aliud agerent, deſcripti: quam quidem ſententiam quivis confirmabit, qui duntaxat ASTRUCII, MAURICEAUI aliorumque opera conſuluerit. Neceſſarium itaque putavi curatius examinare hanc aegritudinem, haud adeo raro occurrentem ac vulgo creditur. Verum quidem eſt, varias obſervationes et lectu omnino dignas me non vidiſſe e. g. BOLTENII diſſ. Argent. 1762. Aliae vero obſervationes, quas neglexiſſe nonnullis forſan videbor, reipſa non neglexi, ſed conſulto ſilentio tranſii, cum longe alium ac hunc deſcribant morbum. e. g. COSCHWIZII diſſ., KEMMERICHII obſervationem apud SELLIUM, PECHLINI obſervationes, quas male quidem PLOUCQUETUS (ſyſtem. noſolog. vol. III. p. 182. ſ.) huc trahit.

Hydatides uteri illuſtravi tabula ab Ill. MECKELIO, praeceptore ad cineres uſque colendo, benigne mihi donata, cujus explicationem Ipſi quoque gratus debeo, viro, qui ita humaniter ac benefice mecum egit, ut nunquam apud me Ipſius beneficia ſint intermoritura. Grati quoque animi laudem in me nunquam deſiderabit Ill. REILIUS, qui ſuam

ſuam in me voluntatem ſuumque ſtudium, quandocunque res tulit, et patefecit et probavit: cujus rei ſingulare quidem τεκμήριον vel id fuit, quod curam noſocomii noſtri mihi ſoli per ſex et quod excurrit menſes contulerit. Nec tantorum unquam aboleſcet gratia factorum.

Non poſſum denique, praeclariſſimorum meritorum et inſignis erga me benevolentiae Ill. SPRENGELII, praeceptoris mihi aeterne venerandi, hic publicum non dare teſtimonium. Tanta ſunt, quae HUIC VIRO debeo, ut, quibus verbis, quae ſentio, dicam, non ſciam. Per omne temporis ſpatium, quo in hac Academia literaria verſatus ſum, quotidiana ſua me dignatus eſt conſuetudine. Semper me ſumma humanitate amplexus eſt; ſemper ſuffultus ſum paternis EJUSDEM conſiliis: atque in hoc deſcribendo diſſertationis ſpecimine omnes mihi reddidit leviores difficultates. Hinc accipiat VIR benevolus, quas ILLI perſolvo gratias, pro iterata EJUSDEM in me benevolentia, velimque exiſtimet, omnem meam operam ac ſtudium ILLI eſſe deditum.

DE

DE

HYDROPE UTERI

ET

DE HYDATIDIBUS

IN UTERO VISIS AUT AB EO EXCLUSIS.

DE

HYDROPE UTERI.

SECTIO I.
HISTORICA.

I.

Definitio.

Hydrometram, hydropem uteri, vocamus praeternaturalem ſeroſam, lymphaticam aut pituitoſam in uteri cavitate colluviem. Qua quidem neceſſe eſt ut functiones organi laedantur, ac alia quoque organa cum utero conſentientia afficiantur: hinc verus inde morbus exſurgit. Cum vero uteri cavitas per ſe quidem cum aliis cavitatibus non cohaereat, totum corpus haudquaquam inde tam facile patitur, quam ex aſcite, ex hydrothorace aut ex hydrocephalo: quibus accedit, uterum minime tanti momenti eſſe organum ac tantopere vitale, quam pulmones, cerebrum et alia, ut laeſis functionibus iſtius aegra ilico et ſanitatem et vitam periclitari debeat.

Ex hac quidem definitione elucet, haudquaquam eos morbos eſſe ad hydrometram numerandos, ubi, remanente menſtruo ſanguine et lochiorum fluxu, tumor uteri oritur, minuendus reſtituto fluxu ſanguinis. Qui tumor, cum ex accumulato praeter naturam ſanguine oriatur, minime hydrops eſt vocandus. Hac omnino ratione, quem BONETUS [1]) allegavit ex SCHRÖKHII obſervationibus, verus uteri hydrops minime fuit: etenim remanentibus lochiis inflammatio potius cervicis uteri eruperat. Ita quoque, quem DANIEL citavit [2]), caſus ex BAJONIO, haudquaquam hydrometris eſt adnumerandus. Manifeſto fuit abſceſſus, ex quo manavit puris immenſa copia, neque ea lactis ante partum metaſtaſis, quam ſubfuiſſe BAJONIUS autumat [3]).

2.

Haec quidem congeries aquarum, vel ſeri vel lymphaticorum humorum, fieri verſus uterum poteſt, vel in ſtatu uteri gravido, vel extra graviditatem. Quod, ut generatim loquamur, primum diſcrimen conſtituit.

a. In ſtatu itaque gravido uteri aquoſi humores accumulantur vel in ovulo ipſo, inter embryonis ſuperficiem et membranas ovi, vel inter membranas chorion et amnion, vel denique inter chorion et parietes uteri ipſius.

b. In ſtatu uteri ἀνάπτῳ, aut ſaltem non gravido, aqua accumulatur nec ſtatim effluit, vel ob craſſiorem indolem, vel ob conſtrictionem aut impedimenta varia uteri orificium occludentia, quibus tandem ſublatis effluxus provocatur, vel denique ob formationem veſicularum, quibus aqua includebatur. De quibus omnibus curatius poſtea diſſeremus.

Alteram

1) Sepulcret. lib. III. ſect. 21. obſ. 55. p. 463.

2) Syſt. aegritud. vol. II. p. 192.

3) BAJON in (HELD's) Auszügen aus den beſten franzöſ. medic. und chirurg. Schriften. B. 1. S. 165. ſq.

Alterum vero diſcrimen verſatur in qualitate aquoſae colluviei: eſt enim vel ſeroſa omnino, vel lymphatica et pituitoſa.

Tertium denique diſcrimen complectitur liberam aquarum illuviem, ſive eam, quae a membranis veſicularum compeſcitur, neque aliter effluere poteſt, quam ruptis hiſce membranis.

Jam itaque ſecundum has differentias a nobis ſtabilitas, primo totum differendi caput poſcamus, ſicut in arte medica ſemper decet, a bonis obſervatoribus; deinde videamus, quaenam inde efficienda ſint argumenta, quibus dignoſci atque cognoſci poſſit morbus. Tunc demum tranſitus patebit ad theoriam hujus aegritudinis proponendam.

3.

Obſervationum praecipuarum copia de hydrometra extra graviditatem.

Cum eas tantum obſervationes in medium hic proferre conemur, quae diſerte ab auctoribus traduntur, omiſſis iis locis, ubi auctores, e. g. PSEUDIPPOCRATES, ARETAEUS, AËTIUS, ex propria experientia ſumſiſſe obſervationes non videntur; incipiamus a GALENO, qui fuſe quidem ac egregie hiſtoriam aegritudinis narrat, qua Boëthi, conſularis, familiarisque ipſius, uxor laboraverat [4]. Ῥῷ γυναικείῳ, ſeu fluore albo ante affecta haec mulier ὄγκον monſtravit τῆς γαστρὸς ὅμοιον τῷ τῶν κυόντων. Tunc vero, interjectis aliquot menſibus, ubi gravida ſe ipſa judicabat, et ab aliis judicabatur, parturientium tandem doloribus correpta, effudit ſeri immenſam copiam ex vagina, ut deliquium etiam animi pateretur. Poſtea vero ipſam ſe reſtituiſſe, GALENUS, more ſuo, fuſius juſto gloriatur.

Sequitur GALENUM Muhammed Zachariae filius, quem a patria RHAZEUM vocant, medicus Bagdadenſis, ſaeculo nono et decimo. Hic narrat

4) GALEN. de praenot. ad Epigen. p. 457. ſq. (Opp. graec. ed. Baſil. fol. 1538. vol. IV.

rat ſimilem caſum. Pannorum ablutoris, Ebn Seyt, Ebn Abdallah, uxor gravidam ſe putabat. Cum autem progreſſu temporis inclinaret ſuper vaſe, in quo ablueret pannos, cecidit et emiſit per vulvam viginti rotulos aquae limpidae: quo facto, ſanitati reſtituta eſt [5]).

Commentator AVICENNAE, JACOBUS DE PARTIBUS, doctor Pariſienſis, Saeculo XV, hiſtorias hujus morbi duas refert, alteram mulieris, quae gravidam ſe putans, partus tempore ab ipſa determinato tantum emiſerat aquarum copiam; alteram vero alius feminae, quae aquoſam colluviem per tres annos in utero geſſerat; qua tandem ſubito eliminata levaminis haud parum percepit, ita ut ſana videretur, ſed magis magisque debilitata, poſt tres dies ſupremum diem obiit [6]).

Ant. BENIVENIUS, medicus Florentinus ejusdem ſaeculi, primus poſt barbara tempora bonus obſervator, mulierem ſanavit, quae octimeſtrem embryonem geſtare videbatur, ſimulque aſcite laborabat. Devoluta autem de eminente loco in terram, et utero ad lapidem alliſo, omnis prorſus effuſus eſt humor [7]).

Ipſe quoque REMBERTUS DODONAEUS aquae in utero collectionem in vidua quadam obſervavit, quae, defuncto marito, cum ſe gravidam relictam exiſtimaret, novem menſibus adimpletis, ſupervenientibus partus doloribus, nonniſi aquoſos humores enixa eſt, a quibus liberata, lacte ubera repleta ſenſit, haud aliter ac ſi foetum peperiſſet [8]).

Celebris illa hiſtoria mulieris Auguſtanae, Helenae Lobin, quam hydrope uteri laboraſſe ANDR. VESALIUS ſectione expertus eſt, ab ADOLPHO OCCO-

5) RHAZ. continens, libr. XVIII. c. 4. f. 379. d. (fol. Venet. 1529.)

6) JACOB. DE PARTIBUS explanatio in AVICIENN. canon. libr. III. fen. 21. tr. 3. c. 25. f. 279. c. (fol. Lugd. 1498.)

7) BENIVEN. de abdit. morb. cauſ. c. 109. p. 201. 202. ad calc. DODON. exempl. obſervat. medic. (8. Harderovic. 1621.)

8) DODON. l. c. c. 45. p. 83.

OCCONE, medico Auguſtano, diſerte narratur 9). Mulier erat quinquagenaria, quae ſanitatis tempore nec conceperat unquam, nec utero geſtaverat. Fluxu tamen menſium conſuetis ſuis temporibus non deſtituebatur: ſingulis etiam menſibus profluebant uſque ad annum aetatis quadrageſimum nonum, nec niſi uno anno, priusquam moreretur, deficiebant. Incurrit primum tumorem ventris aſciti, vel tympaniti vel ex utrisque compoſito ſimilem, ex quo per medicamenta diuretica et alia remedia inter initium ſublevata erat, ut prorſus ſubſideret tumor. Deinde rurſus in hydropem uteri incidit, ſicut ex ſectione, poſtea alleganda, apparuit.

Gravida non erat, cujus morbum deſcripſit IOANN. FERNELIUS 10). Quoties enim inſtabat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero profundebat, pelvesque ſex aut octo implebat aqua citrina ferventiſſima, dûm venter totus ſubſideret. Mox dein menſes inſequebantur ex naturae praeſcripto. Collecta proximo menſe par colluvies, ſtato dein tempore profluebat. Haec tandem perſanata uterum geſtavit, peperitque bene vitalem foetum.

In virgine jam adulta vidit THOM. ERASTUS ventris inſignem tumorem, aſciti ſimillimum, in quo aquae copia auditu et tactu percipiebatur, ut quae in eam partem, in quam ſe vertebat, cum ſonitu collaberetur. Sectio deinde oſtendit in utero, ſine noxa hepatis, acervatam fuiſſe. Color, habitus corporis, operationum omnium integritas, venae laudabili ſanguine diſtentae, ſatis probabant, iecur minime affectum eſſe 11).

JAC. OETHEUS Eichſtadianae mulieris aegritudinem ſimilem plane refert. Haec quidem leproſa, tumorem, gravido utero aequalem, geſtavit: cum-

9) Apud SCHENCK obſerv. lib. IV. p. 619.

10) FERNEL. de partium morb. et ſympt. lib. VI. c. 15. p. 202. (fol. Lutet. Pariſ. 1567.)

11) ERAST. apud SCHENCK. l. c. p. 618

cumque faciem bene coloratam, ac motus interior ventris is eſſet, qualis in vera impraegnatione obſervari ſolet, embryone in utero ſe primum movente, indicatum fuit, gravidam eſſe. Tandem vero, cum tempus partus praeteriiſſet, neque venter detumeſceret, alia acceſſerunt ſymptomata, quae mortem accelerarunt [12]).

HIERON. CARDANUS, παραδοξώτατος καὶ κενοδοξώτατος vir, inter duodecim medicos ſe ſolum ex ſignis, quae ex PSEUDIPPOCRATE poſtea afferemus, dignoviſſe hydropem uteri in uxore Vicecomitis Annibalis, cum a pleriſque praegnans putaretur, jactat [13]).

MARCELL. DONATUS vidit uxorem, quae cum utero ſe gerere exiſtimaret, intumeſcente quoties ventre, praegreſſo ſtatuto tempore partus, malo corporis habitu febriculaque lenta correpta, extincta eſt; cumque aegritudinis tempore diſpar ſententia inter medicos prolata eſſet, quod nullus eorum animadverterat, diſſecto ventre uterum aqua plenum repererunt [14]).

Juxta relationem LAUR. JOUBERTI, Cancellarii Monſpelienſis, in muliere, bene alioquin habente, et viginti jam annos ſterili, ejusmodi collectio ſeri, ventre ſenſim plurimum intumeſcente, totos novem menſes fovit haud opinati conceptus falſam opinionem. Enixa enim tandem eſt nihil, niſi ſerum copioſum, cum flatu multo [15]).

ZACUTUS LUSITANUS mulieris hiſtoriam refert, bene coloratae, quae, reſtricta per ſeptem menſes menſtrua purgatione, neque tamen tumore pedum aut vitio interno laborans, paſſa eſt tumorem ventris enormem, ut gravida judicaretur. Menſe undecimo per viginti dies effluxerunt quotidie ſex

12) OETHEUS apud SCHENCK. l. c.

13) CARDAN. de cauſſ. ſign. et loc. morb. lib. III. n. 113. p. 616. (opp. vol. VII. fol. Lugd. 1665.)

14) DONAT. de medica hiſtor. mirab. lib. IV. c. 25. f. 248 b. (4. Venet. 1588.)

15) JOUBERT. de urin. c. 13. p. 19. (opp. fol. Frcf. 1599. vol. II.)

ſex aut ſeptem librae ſeri liquidi, absque ullo dolore, cum ſolo pruritu abdominis [16]).

LAZAR. RIVERIUS [17]) obſervavit tantam pituitae copioſae excretionem, ut, ſi remanſiſſet, hydropem uteri progignere potuiſſet: qua quidem occaſione doctus ille vir multa affert argumenta, quibus inniti diagnoſis ipſi videbatur, quibusque uti poſtea poterimus ad diagnoſin ſtabiliendam.

CAROL. PISO, archiater Lotharingicus, egregiam affert obſervationem, de colluvie ſeroſa uteri ſequente exulcerationem ejusdem. Vidua enim paupercula, appetentibus menſtruis, per duodecim circiter annos motibus affligebatur convulſivis: tandem phlegmone uteri acceſſit, quae in empyema atque in hydropicam tranſiit uteri paſſionem [18]).

Memorabile ſane exemplum reliquit nobis REGNERUS de GRAAF, hydropis uteri monſtroſi, qui per viginti quinque annos duraverat. Dolores ventris, lumborum, et anxietates circa praecordia querebatur aegra, quae indies, cum aucta mole abdominis, horrendo modo adaugebantur. Nullus autem in ventre, cum ſeſe verteret, fluctuationes perſenſit, atque ventrem cum inaequali duritie in latere ſiniſtro parum infra umbilicum multo magis quam alibi tumefactum videbat medicus. Morte tandem enecata aegra, in conſpectum venit uteri ſcirrhus, cum aquoſa colluvie, ſicut poſtea allegabimus [19]).

Hydrops uteri quem deſcripſit PHIL. JAC. HARTMANNUS, ortus erat poſt lochiorum ſuppreſſionem, unde venter indies magis tumidus ſuſpicionem molae

16) ZACUT. prax. mirab. lib. II. obſ. 152. p. 80.

17) RIVER. prax. med. lib. XV. c. 12. p. 251. ſq.

18) PISON. obſervat. et conſilia de morb. a ſeroſa colluvie ortis, ſect. IV. c. 5. p. 369. (4. Lugd. Batav. 1714.)

19) Ephem. nat. curioſor. dec. I. ann. 1. obſ. 128. p. 286.

molae movit. Poſtquam ſecundas celebraſſet nuptias aegra, majora adhuc cepit incrementa morbus; ſimul quoque labia pudendorum pugni magnitudine diſtenta et pellucida comparuere: conqueſta toties de ſuffocatione et ſtrangulatione, cetera ſanae munia obiit, cum cibum et appetiverit et digeſſerit et concoxerit, alvo inſuper obſequente: tandem febre languida, cum ſtrangulationis vel ſuffocationis metu perpetuo conflictans, ſubito vita deceſſit [20]).

Alia in eadem collectione extat obſervatio aegritudinis, qua laboraverat Comitiſſa de KEGLEWICH, quae hydrops uteri fuiſſe videtur. [21]) Thermarum enim uſu magna humorum foetidorum copia ex matrice evacuata, ſanitas reſtituta fuit.

Inter varias, quas BONETUS citat, obſervationes, legenda praeprimis illa, quam refert de virgine cachectica, vetula, quae per triennium laboravit hydrope uteri, cui corruptio ejusdem erat ſimul adjuncta [22]). Auguſtam quoque imperatricem idem refert omnia verae impraegnationis ſigna habuiſſe, cum ſectio tamen cadaveris hydropem adfuiſſe monſtraret [23]).

FRID. HOFFMANNUS feminam generoſam Berolini cognovit, quae per aliquot menſes aquam limpidiſſimam ex utero evacuavit: marcor tandem et febris hectica mortem acceleraſſe videbantur [24]).

Aliud exemplum MAURICEAU refert, mulieris mercatoris lignorum, quae, gravida putata, excrevit tamen debito tempore nil niſi aquae immenſam copiam cum flatibus [25]).

Rariſ-

20) Ephem. nat. carioſ. dec. II. ann. 5. obſ. 63. p. 142.

21) Ephem. nat. carioſ. dec. III. ann. 5. obſ. 162. p. 370.

22) Sepulcret. lib. III. ſect. 21. obſ. 30. p. 488.

23) Ibid. ſect. 37. obſ. 2. p. 92.

24) HOFFMANN. medic. rational. ſyſtem. tom. III. ſect. I. c. 7. §. 44. p. 1[illegible]4.

25) MAURICEAU traité des maladies des femmes groſſes liv. I. ch. 3. p. 34. (4. Paris 1740.)

Rariſſima eſt TURNERI obſervatio de hydrometra, quae ἀνὰ σάρκα dici poſſet, ubi nimirum aqua, intra extimam uteri tunicam et peritonaeum effuſa, graviditatem ſimulatam, cum materiei albuminoſae affluxu ad mammas, produxit [26].

In memorabili caſu, quem DECKERUS obſervavit, initio menſtrua purgatio rite fluebat: omnibus aegra officiis bene fungebatur. Ad finem craſſities abdominis duarum cum dimidia ulnarum Hollandicarum: nec tamen pedes oedematibus, nec hypochondria doloribus corripiebantur [27].

Mulierum, quae aſciticae habebantur, hiſtorias memoratu dignas ſervavit quoque SAUVAGESIUS [28], quae vero, cum magis ſectiones cadaverum ſpectent, poſtea allegabuntur.

Apud LIEUTAUDIUM hydropis uteri invenies hiſtoriam, fluore albo incipientem, qui deinde doloribus hypochondrii immanibus comitatus inceſſit [29].

Ex FABRII obſervationibus chirurgicis extat una de hydrometra, quae omnibus graviditatis ſymptomatibus juncta erat, excepto tamen embryonis motu. Poſt novem demum menſes ptyaliſmus acceſſit, quo hydrops terminabatur [30].

Quam VAN LIL publicavit, morbi hiſtoria ſine contradictione ad hydrometram pertinere non videtur: attamen ob varia ſymptomata huc trahenda eſt.

26) Philoſophic. tranſact. vol. XVIII. n. 207. p. 20.

27) HALLER. diſputat. pract. vol. IV. p. 503.

28) Noſol. method. vol. II. p. 506. ſ.

29) LIEUTAUD hiſtor. anatom. med. vol. I. obſ. 1363. p. 396. (ed. Schlegel. 8. 1787.)

30) HELD's Auszüge aus den beſten medic. und chirurgiſchen Schriften, B. I. S. 288.

eſt. Iſchuria, dolor abdominis, pruritus et dolor renum aderant: effluxus deinde cruentae materiei: tunc debilitas vero augebatur, febris hectica accedebat, cum prolapſu vaginae et ſeri copioſo effluxu [31]).

Nupera quoque obſervatio quaedam non negligenda, quae complectitur hydropem uteri, ſex vel ſeptem annos durantem, in quo quidem menſtrua non ſupprimebantur, appetitus ſemper vigebat, prolapſus vaginae ſaepius aderat. Duo inſuper ſacci ad dextrum et ſiniſtrum latus hypogaſtrii turgentes apparebant. Aqua quandoque effluxit, ſed coagulabilis, neque vere ſeroſa. Tandem aſcites et oedemata pedum acceſſerunt, cum ſoporoſis affectibus et gangraena, quibus mors accelerabatur [32]).

Nuperrimus denique de morbis mulierum ſcriptor, CHAMBONIUS DE MONTAUX, hydrometram bis obſervavit per plures annos frequenter revertentem et ſponte diſſipatam [33]).

4.

Extiſpicia ad hydrometram extra graviditatem pertinentia.

Primam et maxime memorabilem ſectionem inſtituit VESALIUS in femina Auguſtana, quam ipſe ſtrictim ac modice, quaſi aliud agens, Adolphus vero occo diſertis verbis nobis refert [34]). Uterus poſt mortem ita diſtentus aqua reperiebatur, ut ſexaginta fere menſuras caperet: ſimul aderant veſiculae innumerae, eadem aquoſa colluvie repletae, et, quod notatu maxime dignum eſt, orificium uteri penitus occalluerat, concluſum excreſcentia ab internis partibus ad aperturam orificii internam tendente. Connatus praeterea

31) Samml. für practiſche Aerzte, B. VII. S. 433.

32) BALDINGERS neues Magazin für Aerzte, B. VI. S. 358.

33) Des maladies des femmes, liv. II. ch. 13. p. 333. 341.

34) VESAL. de corp. human. fabr. libr. V. c. 9. p. 627. (ed. Oporin. fol. Baſil. 1555.) — SCHENCK lib. IV. p. 619.

terea uterus cum peritonaeo apparuit: ovariorum dextrum ſolito majus atque ovis albumine refertis craſſioribus praeditum, ſiniſtrum vero emaciatum. Praeter lienem durum, ſubnigrum et quaſi arenulis refertum, nullius viſceris vitium, neque hydropica alia apparebat collectio. In thoracis cavo inſignis aquoſa congeries.

OETHEUS quoque ſana omnia viſcera, praeſertim hepar, invenit, uterum vero mire diſtentum et aqua repletum [35]).

Incraſſatum, ſcirrhoſum et glandulofis tumoribus refertum uterum invenit REGNERUS DE GRAAF, ita ut totus uterus quadraginta libras penderet, et duodecim pollices craſſi eſſent parietes [36]). Orificium uteri ligamento craſſo, firmiſſimo, impervio occluſum erat in cadavere, quod HARTMANNUS diſſecuit: uterus ipſe monſtroſus in duo quaſi loculamenta diviſus, variisque rugis et tunicis praeternaturalibus oppletus. Coaluerat inſuper cum peritonaeo ope craſſae tunicae: ad diaphragma usque ſeſe extenderat: hepar, ventriculus, lien, omniaque inteſtina, ab hac tunica involuta, conſpectui ſubducta erant a muco tenaci illa obveſtiente. [37]).

Orificium uteri arcte clauſum a TURNERO conſpiciebatur, ſaccus aquam continens intra peritonaeum et membranam uteri extimam [38]).

Vaginam penitus concretam prope ab orificio uteri videbat DECKERUS [39]), ita tamen, ut ante hanc coalitionem foramen adeſſet, per quod menſtrua fluxiſſe autumat, cum per id vaſa uteri inflari potuerint. Uterus ſimul ſcirrhoſus, latere dextro cum peritonaeo concretus: in ſiniſtra cavitate

plenus

35) SCHENCK lib. IV. p. 618.

36) Ephem. nat. cur. dec. I. ann. I. obſ. 128. p. 286.

37) Ephem. nat. cur. dec. II. ann. 5. obſ. 67. p. 142.

38) Philoſ. transact. vol. XVIII. n. 207. p. 20.

39) HALLER. diſſertat. practic. vol. IV. p. 504.

plenus tuberculis et hydatidibus, quae tenacem, lardaceam materiam continebant.

Apud LIEUTAUDIUM [40]) uterus corporibus glanduloſis et quatuor molis, quarum quaevis caput infantis magnitudine referebant, repletus: libras centum fere pondo uterus: aquae ſubcruentae menſuras viginti octo continebat. Ovaria et tubae fere non apparebant: meſenterium firmiter utero annexum.

SAUVAGESII ſupra citata ſectio monſtravit uterum cartilagineum, aquae amurcoſae ſexdecim menſuras continentem, cujus orificium hydatidibus exacte clauſum erat. Ovaria et tubae Fallopianae obliteratae. Peritonaeum calloſum, juſto craſſius: hepar renesque ſcirrhoſi, gangraena affecti; lien exiguus, lividus; omentum abſumtum.

In alio exemplo uterus putridus, exulceratus, variis locis gangraenoſus; ita et ovaria: cetera organa ſana [41]).

5.

Obſervationum praecipuarum copia de hydrometra gravidarum.

Aquarum effluxus ex membranis embryonem involventibus, qui ante partum contingit, cum hac ſeroſa colluvie, durante graviditate, haud quaquam eſt confundendus: quodſi enim ex poſteriore cauſſa aquarum effluxus accidit, abortus nunquam metuendus, cum aquae vel ex ſpatio inter chorion et amnion, vel ex loco inter chorion et parietes uteri medio emanent. Hac poſteriore hydrometrae ſpecie nutritio embryonis minime patitur, quae vero ſemper laborat, ſi nimia aquae copia ipſum embryonem cingat. Nonnunquam quoque, ſi ſacco proprio includitur aqua, conceptus ipſe cum hydro-

40) Hiſtor. anatom. med. vol. I. obſ. 1363. p. 396.

41) BALDINGERS neues Magazin für Aerzte, B. VI. S. 359.

drometra conſiſtere poteſt. Quae omnia, cum ab auctoribus ſatis confirmata ſint, obſervationum ſeriem ſubjungamus, quibus haec hydrometrae ſpecies illuſtratur.

Praeter obſervationes de hydrope univerſali, qui graviditatem comitabatur, a SCHENCKIO citatas [42]), quae huc non pertinent, ipſe obſervaſſe videtur veram hydrometram in uxore gravida. Quae foetum non tantum ad juſtum tempus pertulit, verum etiam eundem quoque vitalem enixa eſt: magna aquae una cum foetu et puerperii purgamentis, inter enitendum, profuſa: ventre neque diſtento permanente. Puellus bimeſtris vita exceſſit, quem mater paullo poſt ſubſecuta eſt.

FABRICIUS HILDANUS celeberrimas reliquit hujusmodi obſervationes. Vidit enim ſaepius in gravidis, quae hydropem paterentur, parturientium dolores, ſi aqua eſſet proruptura: aquae deinde, membrana propria incluſae, copia inſignis emanavit. Gravida quaedam cum noctu coitum admitteret, ex utero ejus excreta eſt aquae viſcidae inſignis quantitas [43]). In ipſius muliere ſequenti modo obſervare hydrometram gravidarum huic auctori contigit: Praeter modum a conceptu inde debilitata erat et enervata: dolores ventris querebatur, praeſertim dextri lateris: et, quoties foetus ſe moveret, frigus moleſtum in regione hepatis. Monſtroſa acceſſit abdominis magnitudo, ut duos aut tres ſimul infantes geſtare putaretur. Sex ſeptimanas ante partum pedes oedemate corripiebantur: dolores ventris augmenta ceperunt inſignia. Cum parturientium dein doloribus vehementiſſimis aquae limpidiſſimae librae octodecim excernebantur. Quo facto, ipſe partus foetus robuſtiſſimi et vegeti ſequutus eſt [44]).

Singularis omnino eſt hiſtoria, quam conſignavit HIERON. FABER, Archiater Bavaricus [45]). Femina quaedam a partu foetus vivi, retinuit tantum ventris

42) Obſ. lib. IV. p. 572.

43) FABRIC. HILDAN cent. II. obſ. 53. p. 127. (fol. Frcf. 1646.)

44) Ib. obſ. 56. p. 129.

45) SCHENCK. lib. IV. p. 620.

ventris tumorem, ut exiſtimaretur alium adhuc foetum utero continere: qui tumor, cum et lochia male prodirent, quotidie ita increvit, ut venter in magnam diſtenderetur molem. Ipſa nihilominus vixit, ſine magnis querelis, et, exacto uno vel altero anno, rurſus concepit ac peperit. Ab ultimo partu, biennio ante mortem, venter paullatim in tantam excrevit amplitudinem ut tres ulnas Bavaricas in ambitu excederet.

Apud SALMUTHUM 46) legitur hiſtoria aegritudinis, qua mulier, pro gravida habita, corripiebatur. Seviſſimum enim dolorem, ac ſi verus inſtaret partus, circa uteri regionem ſanſit, effluente ſimul ex illo aqua plane flava atque copioſiſſima, libras tres aut quatuor pondo. Unde aegra et adſtantes mulierculae abortum jamjam imminere, unanimiter concludebant. Aquoſa tamen materies per biduum adhuc permanavit: dolores gradatim remiſerunt: ipſaque ſexto menſe poſt filiolum enixa eſt vivum et incolumem.

Caſuum plane ſimilium caterva numeroſa legitur apud MAURICEAUM: Prima quidem obſervatio 47), adfuiſſe ſimul in ipſa amnii cavitate aquoſam colluviem, docere videtur, cum haemorrhagiae enormes adjunctae et infans corruptus eſſet. Deinde vero refert ſex ſeptimanas ante partum enormem copiam aquarum fuiſſe excretam, ſalvis tamen ipſis membranis 48); poſt, tertio menſe eumdem copioſum effluxum, qui abortum minitaretur, adfuiſſe, orificio uteri tamen clauſo 49). A ſecundo ad ſeptimum graviditatis menſem enormem jugiter emanaſſe aquae copiam, ſalva tamen foetus vita et ſanitate 50). Paullo fuſius alleganda alia memorabilis obſervatio ejusdem auctoris: Tertio graviditatis menſe, ſubito mulier undas aquoſas profuderat,

cum

46) SALMUTH. obſ. medic. cent. II. obſ. 59. p. 86. (4. Brunſvic. 1648.)

47) Obſervations ſur la groſſeſſe et ſur l'accouchement, par MAURICEAU (4. Paris 1738.)

48) Ibid. obſ. 19. p. 17.

49) Ibid. obſ. 60. p. 51.

50) Ibid. obſ. 113. p. 92.

cum parco ſanguifluxu per dies ſequentes continuo: octavo menſe recucurrerat eadem aquoſa excretio: qua nihil obſtante geſtavit foetum ad legitimum usque tempus partus. Quarto die poſt eumdem ſatis bene ſe puerpera habuit: acceſſit tunc autem tertiana duplex cum tanta ſeroſorum humorum evacuatorum copia, ſine ullo ſanguinis colore, ut nunquam parem ſe videre meminerit auctor. Seroſi humores effluentes ita acres erant, ut partes ſubjacentes, praeſertim vero labia vulvae, excoriarent, prodigioſumque producerent eorum tumorem inflammatorium. Acceſſus febris lipothymiis et pulſu minimo, depreſſo; remiſſiones vero pulſu ſat bono, regulari et forti ſtipabantur [51].

Alio denique loco MAURICEAU, ſimilem obſervationem narrans, ubi copioſus aquae, duos ante partum menſes, effluxus aderat, ſuſpicionem movet, hanc aquam potuiſſe ex ipſa amnii cavitate venire, ope rupturae, quae orificio interno apte non reſponderit [52]. Qui caſus vero, cum prioribus plane ſimilis ſit, eodem modo quoque explicandus eſſe videtur: unde quivis mirabitur, auctorem tam parum ſibi conſtitiſſe.

Egregiae ſunt obſervationes, quas nobis BRÜNINGIUS de hydrometra gravidarum tradidit. Femina quadragenaria, diu jam menoſtaſia laborans, victu utens craſſo, et gravi, vitam gerens ſedentariam, queritur poſt nuptias appetitus laeſionem, dolorem capitis, alvi ſegnitiem, et torporem corporis: faciei color deturpatur: oculi cinguntur circulo livido: urina minuitur: ſilent catamenia, mammae prominent: elevatur abdomen: tument ſub veſperam pedes. Quae omnia graviditatem indicare videbantur. Biennio vero haec ſymptomata perduraverunt, ut moles abdominis ſenſim magis intumeſceret: donec dolores ſpaſmodici, dextri lateris praeprimis, accederent, qui vigeſimo ſeptimo tandem poſt morbi initium menſe tranſibant in dolores colicos

51) Ibid. obſ. 186. p. 148.

52) Ibid. obſ. 688. p. 561.

colicos atrociſſimos, vomitum enormem, vehementiſſimum, aquoſum, ſuffocationisque metum. Profluxit deinde, pleno rivo, iteratis vicibus, per muliebria, ingens aquae collectae nauſeoſae, lentae copia, ad deliquium usque, cum nullo dolorum, vel minimo, diſpendio. Sera tandem nocte, accedentibus motibus ſpaſticis artuum, filiolam aegra enititur ſanam, vegetam et robuſtam [53]).

Hanc ſequens obſervatio paritér digna memoratu eſt. Femina trigenaria, graviditatem ſuſpicata eſt ob odontalgiam, ptyaliſmum, nauſeam et vomitum, cui quoque opinioni patrocinabantur abdominis elevatio, ſpontanea laſſitudo, appetitus irregularis. Poſt ortum vero ſponte largius urinae profluvium fugata ſunt haec ſymptomata ita, ut rediret roſeus faciei color et plenaria functionum omnium alacritas. Brevi poſt revertitur abdominis tumor, cum urina parca, alvo ſegni, coloris defoedatione, oppreſſione pectoris, doloribus ventris gravativis. Saepius vero detumuit et iterum intumuit abdomen, ita, ut, cum detumuiſſet, reſtiterit corpus ſphaericum, durum in regione hypogaſtrica, uteri gravidi figuram referens. Sexto poſt primam morbi invaſionem menſe acceſſit iſchuria: tumebant muliebria ab oedematibus: clauſum erat, ſicut in vera graviditate, uteri os, quin oblitum fere materia viſcoſa tenaci. Sequebatur quemlibet corporis motum abdominis tumor, eique inhaerens pondus. Turgebant lacte aquoſo mammae, protuberabant papillae, quarum margo decolor et lividus apparebat: ceteroquin concoctio laudabilis, pulſus vegetus et fortis. Poſtridie immiſſo cathetere in uteri orificium, educta eſt quantitas aquae, libras forte decem pondo: poſtea vero finito partus tempore, infantem aegra feliciter peperit vivum et vegetum [54]).

PURQ-

53) Nov. act. nat. curioſor. vol. V. obſ. 38. p. 111.

54) Ibid. obſ. 35. p. 115. ſq.

PUZOSIUS praeter ſupplementa egregia ad diagnoſin, obſervationem quoque ſubjungit, ubi enormis aquarum quantitas quarto ante partum menſe excernebatur, infans autem ſanus manebat et robuſtus [55]).

BROWNIUS CHESTON ſimilem quoque memoriae tradidit hiſtoriam. Gravida enim, quovis fere menſe, poſt parturientium dolores profudit per muliebria duodecim fere menſuras aquae limpidiſſimae, quo facto tumor ſemper decrevit, antea hydropicus. Poſt ſecundam evacuationem redibant menſtrua: quatuordecim diebus interjectis tumor iterum elevabatur. Tali modo novem menſibus paſſa eſt octo profluvia. Debito tempore partus enixa eſt infantem macilentum, qui ultra quatuor dies non vixit. In noſocomium deinde illata, duodecies hanc evacuationem paſſa eſt: ſemel idem humor ex papillis profluxit; ſemel vomitus cruentus acceſſit. Epileptici deinde inſultus et hyſterici vehementes, aphonia et aſthenia univerſalis. Pedes oedematibus obducti: menſtruis tandem ceſſantibus fluor albus ſucceſſit. Secundus inde partus ſequitur, absque ſolitis graviditatis ſignis praegreſſis. . . . Aliam denique auctor adjungit ſimilem hiſtoriam, ubi profluvia aquae copioſa per totam fere graviditatem aderant [56]).

Hydrometra cum graviditate ſimul obſervata quoque fuit a THILENIO. Hydropica fuerat gravida haec; enixa tamen erat infantem; remanentibus ſecundinis. Quinque diebus praeterlapſis medicus vocatus, invenit letalia ſigna, uteri orificium arcte clauſum. Dilatatis vero parietibus vaginae et orificii, et propinata vini meraci bona copia, propulſa fuit inſignis aquarum ſero-

55) Traité des accouchemens par PUZOS, ch. 7. art. 6. p. 86. (4. Paris 1759.)

56) BROWNE CHESTON's pathologiſche Unterſuchungen und Leichenöffnungen, S. 76. 79. (Aus dem Engl. 8. Gotha 1780.)

ſeroſarum quantitas, poſtremo vero etiam ſecundinae putreſactae, quae profluvia per plures dies continuabant [57].

Obſervationes a MAURICEAUO narratas, experientia ſua confirmat HEINSIUS [58].

Extiſpicia ad hydrometram gravidarum pertinentia.

Quo paucioribus contigit, hanc hydrometrae ſpeciem cadaverum ſectionibus illuſtrare, eo magis notatu digna videntur, quae auctores nobis de iisdem reliquerunt.

HIERON. FABER vidit, ſecto cadavere, uterum in tantam molem extenſum, ut totum abdomen ſolus occuparet et omnia abdominis ſpatia expleret, inteſtinis ad muſculos abdominis agglutinatis: Omentum et peritonaeum computruerant, et reliqua omnia viſcera emacerata, gracilia et in anguſtum locum redacta apparuerunt. Uteri ſubſtantia ſatis integra et craſſa: cavitas ipſius tam ampla, ut puer decem annorum facile in ea potuerit deliteſcere. In interna cervicis uteri ſuperficie excrevit tumor in orbem adnatus, glanduloſus et rotundus, per zonas diſtinctus, qui arcte occluſit uteri orificium [59].

MAURICEAUS invenit uterum per totam internam ſuperficiem obſitum coagulis viſcoſae, craſſae materiei, quae ſuperficiei intimae adhaererent, atque inter quae transſudare deberet ſeroſa tantum pars ſanguinis. Praeter ſeri libras quasdam in cavitatem abdominis effuſi, viſcera abdominalia ſana erant: veſica fellea bile viridi-atra repleta. Thorax totus aqua plenus: ad aper-

57) THILENIUS med. und chirurgiſche Bemerkungen, S. 186.

58) STARK's Archiv der Geburtshülfe, B. II. St. 1. S. 119.

59) SCHENCK lib. IV. p. 620.

aperturam venae cavae et in ſinu ejusdem polypi bini aderant ſolidi, candidi, quos male auctor ex chylo conflatos, ac hydropem thoracis cauſſam mortis fuiſſe arbitratur [60]).

SECTIO II.
DIAGNOSTICA.

I.
Hydrometra extra graviditatem.

Difficilis ſane eſt diagnoſis hydropis uteri et aliorum ventris tumorum: difficillima diſtinctio ejusdem a molis, tumoribus ſcirrhoſis et polypis uteri. Ut itaque ordine progrediamur, ſymptomata primum conſideremus, quae in hydrometra non gravidarum occurrunt: deinde vero inquiramus in ea, quibus diſtingui poteſt a molis et aliis affinibus malis.

Tumor ventris in initio adeſt, ſed ſingularis atque is, qui peculiarem mali ſedem in utero indigitat. Hinc gravidae vulgo putantur mulieres, quoties hoc morbo corripiuntur, niſi jam in eam inciderint aetatem, ubi conceptio nulla fieri poteſt. Tumor vero eſt elaſticus, plerumque fluctuans, neque durum id corpus referens, quod in graviditate, decubitu praeſertim ſupino, deprehendimus. Aequalis quoque eſt tumor neque adeo faſtigiatus, ac in gravido utero reperitur. Nonnunquam vel ſingulis menſibus, vel aliis periodis decreſcit, iterumque increſcit tumor, prout effluxus ſeri copioſiſſimi periodice recurrit. Diutius perſtat, quam graviditas: quamquam ex prima BRÜNINGII obſervatione conſtare videatur, dubiam ſaltem eſſe graviditatem, eamque una exiſtere poſſe cum hoc hydropico tumore.

 Tumo-

60) Obſervations ſur la groſſeſſe et l'accouchement. obſerv. 168. p. 149.

Tumorem quoque terminatum regione hypogaſtrica fere ſemper eſſe, eoque modo diſcrimen inter aſcitem, aliosque hydropicos tumores conſtituere, qui et totum abdomen, et pedes ſimul corripiunt, obſervatum eſt. Neque tamen in progreſſu morbi ſatis certa eſt haec diagnoſis: namque aequaliter totum abdomen intumeſcit, ut ad thoracem usque pertingat uteri moles enormiter extenſi: neque deſunt caſus, ubi, licet raro, pedes intumuerint. Genitalium tumor oedematoſus haud frequenter adjungitur vero uteri hydropi. Frigidus ſimul eſt tumor, cum in graviditate aequalis fere temperies totius adſit abdominis, unde WRISBERGIUS conſilium abſtraxit, ut facies tota abdomini imponatur, quo facto diſcernere poſſit medicus et temperiei modificationem et prominentias corporis infantilis [61]): quod tamen conſilium STARKIUS disſuadet ob honeſtatis laeſionem. Cum in graviditate dextrum potius plerumque quam ſiniſtrum latus hypogaſtrii magis tumidum appareat: hydrometra ipſa aequalem omnino tumorem producit. Non deſunt quoque caſus ubi ſiniſtrum magis latus occuparet, praeſertim ſi ſcirrhoſi tumores ſimul adjuncti ſunt, ſicut ex REGNERI DE GRAAF obſervatione elucet. Fluctuatio, quae in pleriſque aliis tumoribus hydropicis adeſt, hic quoque percipitur, neque tamen ita conſtanter, ut deficere in variis caſibus nequeat; maxime ſi cyſtici adſunt tumores, aut ſi aqua veſiculis continetur. Duo nonnunquam ſacci utroque latere apparent, ob directionem forſan tubarum Fallopianarum ita ſeſe extendentium. Idem tumor ab inferioribus locis incipit, cum in aſcite et anaſarca ab aliis promiſcue partibus, aut undique ſimul ſeſe extendat. Solet etiam, dummodo libera ſit aquae colluvies, ſemper eo collabi, quo corpus ſeſe flectit, et cui lateri aegra incumbit. Dum autem ſacco incluſus eſt latex, haec diagnoſis quoque difficillima evadit.

Motus

61) RÖDERER's Anfangsgründe der Geburtshülfe, von STARK, §. 150. S. 97.

Motus infantis graviditatem certo indigitat a quarto aut quinto menſe inde: hujus itaque defectu diſcerni poteſt hydrometra ab impraegnatione. Nihilominus tamen motus nonnunquam illi aequalis, qui ab embryone producitur, in hydrometra eſt obſervatus [62]). Pendet ille quidem motus a flatibus aut tympanite praeſentibus [63]). Quodſi vero diutius manum ventri impoſueris, oblongior motus, et magis uniformis, majorque reſiſtentia ſentitur in graviditate, quam dum hic motus ab aqua aut flatibus excitatur [64]).

Tumorem quoque non tam inſignem fore et elaſticum idem auctor credit, dum intra tunicas uteri fuerit effuſa aqua, quam dum in cavo uteri ipſo ſtagnaverit, cum majus ſpatium ſit. De hoc vero ſymptomate dubitandum adhuc eſſe arbitror, cum obſervationibus haud confirmetur. [65]).

Ex orificii uterini conſiſtentia et qualitate poſſe hydrometram ἀνάπτων divinari, atque ejus examine etiam diſtingui a vera graviditate, certum eſt. Miror itaque, cur, praeter PSEUDIPPOCRATEM, eosque auctores, qui ipſum allegaverunt, nemo fere recentiorum ad hoc ſignum diagnoſticum provocaverit. Antiquus ille auctor [66]) *τὸ ϛόμα τῆς μήτρας ἰσχνὸν φαίνεσθαι τοῖς ψάυουσι καὶ ἀφανιζόμενον περὶ πλέιον ὑγρασίας* ſ. orificium uteri tenue vel gracile apparere explorantibus et evanidum fere ob nimiam humiditatem, docet. Quod profecto ſignum, ſi ubique adfuerit, optimam dignoſin indicit inter graviditatem et hydrometram extra graviditatem. In vera enim graviditate a tertio inde aut quarto menſe et cervix

62) OETHEUS apud SCHENCK lib. IV. p. 618. — SWIETEN. comm. in BOERH. aphor. §. 1224 p. 154.

63) BAUDELOCQUE's Anl. zur Entbindungskunſt, Th. II. S. 517. (Zweite Ausgabe, von MECKEL).

64) VARANDAEUS de affect. mulier. lib. I. p. 146. (8. Hanov. 1619.)

65) Ibid. p. 143.

66) HIPPOCRAT. de natur. muliebr. p. 126, 143. (opp. ed. Foëſii ſect. V.)

cervix et orificii uterini labia magis magisque intumeſcunt, incraſſantur atque emolleſcunt. Deinde etiam ſitus orificii aliquid facere poteſt ad ſtabiliendam diagnoſin: ſi enim cum ſignis graviditatis, et aucto hypogaſtrii tumore, orificium uteri haudquaquam aſcendit, ſicut in vera graviditate poſt tertium menſem fieri ſolet; ſuſpicio ſaltem inde movenda, adeſſe forſan hydropicum uteri tumorem. Nihilominus non ſine jure notat VARANDAEUS [67]), orificium uteri in ea hydrometrae ſpecie, quae inter tunicas uteri ſitum habet, haudquaquam mutari neque gracilitatem, et tenuitatem ejus poſſe percipi.

Ad hoc quidem ſignum eo magis et curatius reſpiciendum, quo minus certa ſunt, quae ex menſtruo fluxu deſumuntur, indicia. Hippocraticus quidem auctor diſertis verbis docet, ab initio inde morbi menſium fluxum minui, cum anxietate prodire, malae indolis fieri, aquoſum eſſe nec mere ſanguineum [68]). Supprimi quoque menſtrua cum AËTIO [69]) tota fere antiquitas credidit: quod et AVICENNA [70]) confirmat: aliique addunt, in mola adeſſe effrenum menſium et inordinatum fluxum, ut tali modo poſſit uterque morbus dignoſci. Nihiloſecius tamen experientia docuit, ſaepius menſtruum ſanguinem aeque profluere certis periodis, ac ſi nullum ſanitatis detrimentum fuerit metuendum: quod inde explicari poſſe videtur, ſi ſacco aut cyſtide tunc fuiſſe incluſam aquam, aut ex vaginae tantum vaſis promanaſſe ſanguinem menſtruum, aſſumamus. Quod quidem VESALII, DECKERI et anonymi apud BALDINGERUM obſervationes manifeſto docent. In caſu, quem DECKERUS narrat, apertum fuit fora-

67) L. c. p. 145.

68) HIPPOCR. l. c. p. 126. — de morb. mul. lib. II. p. 231.

69) Tetrabibl. IV. ſerm. 4. c. 79. p. 678. (ed. CORNAR. 12. Lugd. 1569.)

70) Canon, lib. III. fen. 21. tr. 4. c. 25. p. 960. (ed. Venet. fol. 1595.)

foramen ante vaginam concretam, ex quo menſtruum ſanguinem fluxiſſe non ſine ratione arbitratur.

Nonnunquam menſtrui loco ſanguinis fluor albus periodicum ſervat recurſum, praeſertim in cachecticis mulieribus, ubi morbus ſimul cum hoc fluxu incipere viſus eſt. GALENI et LIEUTAUDII obſervationes hoc confirmant.

Aliud ſignum diagnoſticum hydrometrae extra graviditatem a mammarum indole et functionibus vitiatis deſumitur. In vera graviditate, poſt tertium ſaltem aut quartum menſem, mammae turgent et dolent; venae eorum coeruleo colore tinguntur: papilla incraſſatur, unaque cum areola fuſcum colorem adipiſcitur. Poſt quartum fere menſem lympha ſolet preſſione excerni, quae ſtrigis lacteis praedita eſt, et vermiculorum candidorum ſpeciem refert. Haec quidem mammarum indoles ab Hippocratico auctore contrario modo ſe in hydrometra habere dicitur. Steriles nominat et emarcidas mammas, ac lac eſſe depravatum, dum uterus aquoſo latice turgeat. Quod etiam a plerisque, praeſertim a RIVERIO [71]), et MARQUETO [72]), ſed haud propria, ut videtur, experientia, confirmatur. Unde efficitur, minime hanc flacciditatem mammarum tanquam ſignum diagnoſticum hydrometrae poſſe ubique aſſumi. Fida enim docuit obſervatio, mammas ſaepius ſatis toroſas, papillas incraſſatas, ipſumque ex ipſis lac compreſſum fuiſſe, aut ſaltem albuminoſam materiam, preſſis papillis, inde ſtillaſſe [73]).

Quod cetera attinet ſymptomata, haec quidem in initio ſaepius penitus deficiunt, ut praeter tumorem topicum nulla fere alia querela audiatur.

Color

71) Prax. med. lib. XV. c. 12. p. 255.

72) Traité de l'hydropiſie etc. p. 36.

73) DODON. l. c. TURNER. l. c.

Color faciei, habitus corporis, motus muſculorum, concoctio, excretiones omnes ſecundum ſanitatis leges per longum tempus fiunt, quod omnibus fere ſcriptorum animadverſionibus ſtabilitur. Praeſertim dolores per primum morbi ſtadium plerumque nulli adſunt.

Cum vero ſymptomata varia accedunt, haec quidem magis magisque adaugentur vehementia, frequentia et multitudine, cum in graviditate tantum non ſemper ſoleant decreſcere, quo diutius hic ſtatus durat. Quod quidem optime confert ad diagnoſin utriusque ſtatus ſtabiliendam.

Quandoquidem in initio diximus habitum corporis ſemper eundem manere, neque ullam accedere membrorum aut corporis emaciationem; inde petenda diagnoſis inter hydropem univerſalem, aut aſciten, et hunc topicum, cum in illo fere ſemper membrorum, praeter hydropica, omnium volumen indies minuatur, ac tandem vera macies accedat. Hinc quoque jam pridem ARETAEUS hunc hydropem τῶν ἄλλων εὐαλθέστερον dixit [74]. Haudquaquam tamen negandum, poſſe etiam ad hydrometram quandoque accedere ejusmodi maciem; licet, antequam hoc fiat, tranſierit oportet in verum cachecticum ſtatum.

Adſunt tamen nonnunquam primo jam menſe ſymptomata plura, quae laeſas functiones varias monſtrant. Primum ſymptomata labefactatae digeſtionis. Appetitus ſaepius proſternitur: anxietas adeſt circa praecordia, quae eo vehementior fit, quo magis tumor hydropicus increſcit. Adjungitur ſimul nauſea, vomituritio et ipſi vomitus frequentes: ructus praeterea graveolentes: flatulentia moleſta: murmura ventris continua: obſtructio alvina, cum excrementis tetrum odorem ſpirantibus. Dolores ventris, praeſertim hypochondriorum, intervallis quibusdam temporis recurrentes, ſaepe

74) ARET. ſign. diut. morb. lib. II. c. I. p. 51. (ed. BOERHAAV.)

ſaepe ad vehementiae maximum gradum evecti, junguntur ſpaſmis muſculorum abdominalium, et doloribus lumborum et difficultate ingrediendi, cum ſenſu gravitatis in imo ventre et preſſionis continuae ad inferiora. Hoc quidem poſterius ſymptoma hydrometrae aeque vulgariter convenit ac molis, ideoque diagnoſticum ſignum nullum conſtituit, quod VARANDAEUS, et quicunque eum exſcripſerunt, innuunt.

Urinae fluxus initio quidem naturalis, in progreſſu morbi frequenter intercipitur: copia urinae indies magis minuitur: ipſa turbida evadit et jumentoſa: ſaepiusque doloribus vehementibus juncta iſchuria oriri ſolet; praeſertim dum tempus inſtat, ubi aquae eliminari debent.

Reſpiratio initio morbi et quibusdam caſibus ejusdem haudquaquam labefactatur, neque turbatur, unde etiam diagnoſin hydrometrae et aſcitis petunt: fit tamen interdum, ut anxietates enormes, dyſpnoea; ſuffocationis, ſtrangulationis aſperae arteriae metus, cum tuſſi refractaria, ſicciſſima contingant. Quod tunc temporis praeprimis fieri ſolet, cum naturae viribus eliminatio aquarum ſtagnantium inſtat.

Sitis vero et ſiccitas oris, quae aliis hydropibus communes ſunt, in hac omnino ſpecie deficiunt, niſi alia mala fuerint adjuncta, niſi inprimis vel ſcirrhus vel exulceratio cum febre hectica acceſſerint.

Febris enim hectica, caloribus fugitivis poſt paſtum incipiens, cum malo corporis habitu, lurido faciei colore, livido circa oculos circulo, emaciatione totius corporis, variisque tumoribus interdum, licet rarius, ad progredientem morbum ſeſe adjungit, ſicut MARC. DONATUS et FRIDER. HOFFMANNUS experti ſunt. Quae poteſt etiam ſtipata eſſe vel ſomno interrupto et agrypnia, vel ſoporoſis affectibus. Tranſit vero in proſtrationem virium univerſam, inque cetera ſymptomata, quae tranſitum hecticae febris in mortem annunciant.

Letifer ejusmodi exitus morbi ſaepius non exſpectandus: cum nimirum natura evacuat humores. Haec evacuatio dum inſtat, aut dum remanet, oriuntur ſymptomata nonnunquam periculoſa, praeſertim anxietas: oppreſſio pectoris; palpitationes cordis et tumores vaſorum lymphaticorum et glandularum, qui vero evaneſcunt, dum evacuatio iterum promovetur. Nonnunquam natura ipſa eam evacuationem producere ſponte non poteſt, niſi violentia externa ruperit ſaccos, quibus aquae continentur, quod lapſu ex alto factum fuiſſe, RHAZEI et BENIVENII obſervationes docent. Dum vero hic ſeriſluxus imminet, ſenſus ponderis et gravitatis in alterutro hypogaſtrio, dolores ſaepe immanes ſpaſtici, nonnunquam vero ſolus oritur genitalium pruritus moleſtus, abſque ullo dolore. Cum parturientium doloribus comparant obſervatores eas ſenſationes, quae excretionem hanc annunciant. Periodice plerumque recurrit haec excretio, ut menſtruorum etiam locum obtinere poſſit, in progreſſu morbi vero brevioribus venit intervallis, et vel alternis diebus, vel quavis ſeptimana ſemel contingit.

Humor eliminatus plerumque mere aquoſus eſt et ſeroſus, non raro vero lymphaticus, glutinoſus, lacteis floccis junctus. Commixta etiam amurcoſa, ſanguinea materies, vel purulentum quiddam ſolet eſſe, quod quidem a complicatis ſimul malis pendere videtur. Nonnunquam cum ſeroſis humoribus aër ſimul aut flatus prorumpere viſi ſunt, qui ab evolutis ex ſtagnante aqua ſpeciebus aëriformibus originem ducunt [75]).

Fluxus hic ſaepius recurrens, aquoſus, relaxat partes, atque prolapſum non raro vaginae producit, qui ſaepius ſimul adfuit: nonnunquam quoque debilitas, ex nimia et impetuoſa hac excretione oriunda, tanta eſt, ut in animi deliquium (GALEN.) imo in ipſam mortem (JACOB. DE PARTIBUS) tranſeat. Criticum itaque hoc ſymptoma, niſi naturae vires ſatis vigeant,

75) JOUBERT l. c.

vigeant, letiferum eſſe poteſt, quod in multis aliis criticis moliminibus naturae videmus.

Rariſſimi ſunt caſus, ubi, loco hujus per partes genitales excretionis ſalivatio oritur, vices hujus excretionis gerens, quod a FABRIO obſervatum, ſupra jam allegavimus: aut ubi, imperviis naturalibus orificiis, abſceſſus integumentorum abdominis excitatur per quem aquae eliminantur [76].

Haec itaque ſunt, quae in hydrometra ἀνάπτων obſervata ſunt ſymptomata diagnoſtica, quibus patet, a molis et polypis vix, a graviditate vero, ab hydropibus aliis facilius poſſe hunc morbum diſcerni. Certior enim ſola diagnoſis polyporum uteri verſatur in haemorrhagiis enormibus, quas excitant, dum fundo uteri adhaerent, et in explorata prominentia auctorum polyporum per orificium uteri.

2.

Hydrometra gravidarum.

Majoribus omnino involvitur difficultatibus diagnoſis hydrometrae, dum cum graviditate una exiſtit: ſiquidem ſymptomata hydrometrae ſignis graviditatis plerumque affinia ſunt. Ad ſequentia tamen praecipue attendendum.

Graviditas ſequitur nonnunquam hydrometram ita, ut mulier, uteri hydrope laborans, poſſit tamen concipere, dummodo ſacco fuerit aqua incluſa. Obſervationibus FERNELII, HIERON. FABRI, BRÜNINGII et CHESTONII ſupra allegatis hoc docetur. Tunc vero incipiens graviditas vix ac ne vix quidem cognoſci poteſt.

At vero, cum gravidus uterus hydrope ſimul laborat, paullo facilius haec quidem complicatio dignoſcitur. Certiora ſigna ſunt; enormis abdominis

76) JO. DE MURALTO in Ephem. nat. curioſ. dec. II, ann. I. obſ. 114. p. 283.

minis et inſuetus tumor, qui tantus primis graviditatis menſibus eſt, quantus alioquin fere ultimis temporibus eſſe ſolet. Verum quidem eſt, hoc inſuetum volumen abdominis pendere etiam poſſe a pluribus foetibus utero geſtis, qui vero cum circa medium impraegnationis tempus exploratione curatiore abdominis poſſint animadverti, prominentiis inaequalibus diſtinguuntur etiam ab hydrometra. Deinde orificium uteri, quod poſt quartum menſem plerumque incraſſatur et molleſcit, gracile ſaepius manet, dum hydrometra graviditati juncta eſt [77]). Quam quidem gracilitatem labiorum orificii uterini nonnunquam deſiderari, animadverti ſaltem facile non poſſe, concedo.

Poſt ad effluxum aquae ipſum reſpiciendum, qui quidem ſaepiſſime adeſt poſt ſecundum aut tertium menſem graviditatis; iisdem ſtipatur ſymptomatibus, ac ſi partus aut abortus inſtaret, atque periodice recurrit; nonnunquam vero penitus deficit, et tandem, abſoluto partus negotio, una cum ſecundinis et lochiis prorumpit. Non raro vero per totam fere graviditatem ſilet, et brevi denique ante partum ſimul cum aquis naturalibus in conſpectum venit; quo facto cognoſcitur praegreſſa hydrometra ex nimia aquae prorumpentis copia, quae fidem fere quandoque ſuperavit. Dum fluxus hic in progreſſu graviditatis contingit, abortus aut partus praematuri metu liberamur, ſi ad orificii uterini indolem reſpiciamus: hoc enim ſtrictum fere ac gracile manet, ſi dolores partum annunciantes vel vehementiſſimi fuerint.

Rariores ſunt caſus, ubi oedematibus pedum juncta erat haec hydrometrae ſpecies, quae pendere pari modo a graviditate ipſa ac ab hydrope uteri poſſunt. Nihil itaque certi his tumoribus ineſt.

Non-

77) PUZOS traité des accouchemens, ch. 7. art. 6. p. 89.

Nonnunquam ſecundinarum eruptio et lochiorum fluxus impeditus eſſe hydropico hoc tumore videtur, ſicut ex FABRI et praeſertim ex memorabili THILENII obſervatione elucet.

Quod ſi aqua in cavitate ipſa ovi praeter naturam accumulatur, infantis motus durante graviditate vix ac ne vix quidem, nec a muliere gravida, nec a contrectante medici manu percipi poteſt, cum infans undis aquae copioſae innatet. Natus quoque infans ſolet in hoc quidem caſu emaciatus et corruptus conſpici: vegetus autem atque robuſtus, ſi vel ſacco peculiari incluſus vel inter membranas ovi, chorion et amnion, vel inter chorion et parietes uteri accumulatus fuerit aquoſus latex. Dum ex cavitate ovi ipſius promanat aqua, ſequi inſuper ſolet vel abortus vel partus ipſe, qui vero nunquam exſpectandi ſunt, ſi inter membranas latuerit aqua.

PUZOSII animadverſio negligi non debet, quod nempe ſaepius effluxerit aquae enormis copia ante partum. Dum vero partus ipſe inſtaret, apparuiſſe membranam ovi per genitalia prorumpentem, multo magis depreſſam neque tantopere elatam, quam vulgaribus caſibus [78]). Hoc quidem phaenomenon ita explicat auctor, ut aquam ex loco intermedio inter chorion et amnion prorupiſſe arbitretur; rupto enim chorio effluxiſſe aquam, integrum vero manſiſſe amnion.

78) L. c. p. 28.

SECTIO

SECTIO III.
AETIOLOGICA.

A. CAUSSAE EVIDENTES.

Experientiam iterum eas cauſas conſulamus, quae ſub ſenſus cadunt, atque ab obſervatoribus animadverſae ſunt: qua quidem inquiſitione cavendum, ne praecedentia quaecunque phaenomena morboſa huc trahamus, niſi veram contineant rationem morbi inde oriundi.

Primum docuit obſervatio vitia varia uteri, quibus functiones ipſius laeduntur, ad vitii genus, hic tractatum, poſſe cauſam afferre. Ex ſcirrhoſis tumoribus uteri vetuſtus ille Arabs, ALY, ABBATIS filius, aquoſam uteri illuviem jam derivavit [79]). Quae cauſa obſervationibus FRIDER. HOFFMANNI, REGNERI DE GRAAF, SAUVAGESII, aliorumque confirmatur. Scirrhis enim comprimuntur vaſa lymphatica, varices in iisdem oriuntur, eoque modo congeſtiones paſſivae aquoſorum humorum producuntur [80]).

Inflammationem uteri lentam et exulcerationem ſaepius congeſtionem hanc aquoſorum humorum pediſſequam habere, ex ipſa exituum inflammationis varietate, et ex exulcerationis indole elucet. Aucta enim vaſorum ſanguiferorum, ope inflammationis, activitate, haec tandem relaxantur, atque ad transſudationem fluidorum ſeroſorum proclivia redduntur. Videmus ſaepius hydrocephalum ſequi cephalitidem, quin ipſum hydrocephali primum ſtadium plerumque inflammatorium eſſe ſolet. Pneumonia tranſit, maxime dum catarrhalis aut rheumatica fuerit, in hydrothora-

79) HALY ABBAT. theoric. lib. IX. c. 39. f. 70. c. (ed. Venet. fol. 1492.)

80) SPRENGEL's Handbuch der Pathologie, B. I. §. 378.

thoracem; eryſipelas in oedemata. Eodem itaque modo uteri inflammatio, praeſertim lenta, quae exulcerationem comitatur, ſtipata incedit hydropica colluvie verſus uterum. Quae opinio quod non precaria tantum ac imaginaria ſit, docetur MORGAGNI,[81]) PISONIS jam citati, aliorumque obſervationibus. Hinc toties uteri hydrops junctus invenitur cum coalitu uteri et viſcerum abdominalium, quippe cum hic coalitus ſequatur plerumque lentam inflammationem partium [82]).

Eadem ratione laeſiones uteri quaecunque cauſſam continent, qua hydrops nonnunquam producitur. Oritur enim inde inflammatio et eam ſequens aquoſa colluvies. In BALDINGERI collectione anonymus refert, laeſione uteri (qualis vero fuerit, tacet,) ortam fuiſſe hydrometram. CHESTONIUS vero diſertis verbis ex violentia externa, a vacca aegrae illata, originem duxiſſe hydrometram, narrat.

Ex abortione ſaepius naſci hydrometram Hippocratici auctoris ſententia eſt, quae quidem confirmatur experientia. Abortu enim tanta ſaepe ſanguinis copia effunditur, ut vaſa uterina relaxentur, et nil recipiant niſi aquoſum laticem, ſicut oedemata non raro poſt haemorrhagias enormes aut poſt venaeſectiones ſaepius repetitas in conſpectum veniunt. Ex partu laborioſo, orta erat hydrometra, quam IO. DE MURALTO deſcripſit.

Menſtruorum ſuppreſſionem et lochiorum accuſari ſaepius debere, tanquam cauſam manifeſtam, ex BRÜNINGII, multorumque aliorum obſervationibus patet: ut itaque et AËTIO et ASTRUCIO [83]) aſſentiri poſſimus, qui ad hanc praeſertim cauſam provocant. Impedito enim ejusmodi naturali fluxu

81) De ſedib. et cauſſ. morb. ep. XLVIII. art. 16.

82) REIL et HELLER de concretionibus organorum morboſis, 8. Hal. 1795.

83) Von den Frauenzimmerkrankheiten, Th. III. S. 287.

fluxu vaſorum uterinorum varices oriuntur, eademque ita relaxantur, ut praeter lympham et aquoſum laticem nihil amplius recipiant; atque ut congeſtio paſſiva ex laxitate vaſorum et ſeroſitate humorum ſequi debeat [84]).

Hinc fit, ut fluor albus ſaepius praegrediatur hydrometram, ex quo non ſine jure derivari poteſt [85]). Depravatio enim lymphatica et pituitoſa ſanguinis oritur ex retardato ſanguinis circulo, ex relaxatis vaſis haematophoris, ideoque plerumque etiam ex menſium fluxu ſuppreſſo.

Hinc etiam in ſterilibus, virginibus cachecticis et vetulis, quarum menſtrua ſuppreſſa ſunt, et molas et hydropes uteri toties animadvertimus [86]).

Cacochymiam ſaepius univerſalem adeſſe, et hecticum habitum diu praegredi hydrometram, obſervationes docuerunt: [87]) ideoque etiam in hepate et in liene et in aliis viſceribus ea ſunt animadverſa vitia, quae ſanguinis bonam indolem labefactare et congeſtiones ſeroſas producere poterant. Nihilo ſecius a veritate tamen alienum eſt veterum commentum, quod nimirum quivis hydrops et ſpeciatim hydrometrae omnes ex ſtatu viſcerum abdominalium, hepatis maxime, praeternaturali originem ducant. Cadaverum ſectiones docuerunt, ſana ſaepius et vegeta eſſe viſcera omnia, dum ipſe hydrops mortem attulerit.

Quaecunque demum propiores has cauſſas producere poſſunt, tribuunt etiam aliquid ad hydrometram gignendam. Hinc febres intermittentes diuturnae apud DECKERUM; hinc animi affectus triſtes et lenti apud THILENIUM

84) SPRENGEL's Handbuch der Pathologie, B. I. §. 418.

85) GALEN. l. c. — MAURICEAU des maladies des femmes groſſes, liv. I. ch. 23. p. 136. — ASTRUC l. c.

86) MAURICEAU l. c. p. 177. — WATSON in philoſ. tranſact. Y. 1741 n. 460. p. 711. — SPRENGEL l. c. §. 298.

87) BONET. ſepulcret. lib. III. ſect. 21. p. 488.

NIUM, hinc vita deſes, victus craſſus et δύσπεπτος apud BRÜNINGIUM contulerunt plurimum, ut ea vitia generarentur, quae hydrometram producerent.

Quodſi lex nobis non eſſet conſtituta, experientiae ſoli fidere, neque plura addere, quam quae ipſa docuit, poſſemus, VARANDAEI aliorumque exemplo, eas etiam cauſſas, quas in hydropicis aliis obſervarunt, adducere; poſſemus reſpicere ad refrigerium, ad potuum ſpirituoſorum abuſum, plerasque alias cauſſas, quae, quantum ad alios hydropes producendos faciunt, notum eſt. Sed totum hoc diſſerendi genus abiudicamus, cum obſervationibus nondum confirmata ſit efficacia earum cauſſarum ad hydrometrae generationem.

Alia tamen manifeſta cauſſa in medium proferenda, quae periodicum effluxum et periodicam remanſionem producere videtur. Pendere enim hoc videtur ex accumulatione ſeroſorum humorum in ſacco peculiari, qualisque in extiſpiciis viſus eſt, vel ex coacervatione eorum inter chorion et amnion, membranas ovi et parietes uteri ipſius. Deinde vero negari non poteſt, uteri orificium retinere ſaepius aquoſam colluviem, dum vel nimis ſtrictum atque a ſpaſmis contractum eſt, unde relaxatio ejusmodi ſpaſmos ſequitur, ſi aqua eſt eruptura, quod CHESTONII obſervatione confirmatur. Vel calloſum eſt uteri orificium, ut apud VESALIUM, vel penitus coalita vagina, ſicut apud DECKERUM, vel obſtructum tantum ope hydatidum, cruoris incraſſati, velut apud THILENIUM, aut muci grumoſi, ſicut apud varios obſervatores legendum eſt. — Hinc quoque accidit, tum demum prorumpere aquam, cum obſtacula haec amota ſunt. THILENIUS vidit plenos aquae prorumpentis rivos, dum in puerpera removiſſet grumos ex ſecundinarum et lochiorum reliquiis ortos, quibus occludebatur orificium uterinum. FABRICIUS HILDANUS promanaſſe aquam refert, dum coitu orificium uterinum aperiretur.

B. THEORIA IPSA.

In theoria hydrometrae ipſa conſilium transferendum praeprimis ad congeſtionum theoriam, cum accumulationem aquoſorum humorum in cavitate aliqua ſine congeſtione explicare nequeamus. Cum autem congeſtiones ſint vel activae vel paſſivae, ad hoc diſcrimen quoque potiſſimum reſpicitor. Congeſtiones activae, dum quoque vel ſeroſae ſunt, ſupponunt activitatem virium vitalium cordis et arteriarum nimis adauctam, cum cauſſis topicis, determinantibus humores nimis fortiter circumactos, potius huc quam aliorſum tendere. Congeſtiones vero paſſivae absque activitate virium vitalium adaucta, a ſolis oriuntur cauſſis topicis, a ruptura vaſorum, a dilatatione et relaxatione eorum, a ſtimulo adaucto, et praeſertim ab aucta ſtimulante natura fluidorum, maxime denique a ſublato aequilibrio inter affluxum per vaſa arterioſa, et reſorbtionem per venas et vaſa lymphatica [88]). Quae quidem cauſſae congeſtionum paſſivorum ad theoriam hydrometrae optime applicari poſſe videntur.

Hydrometra extra graviditatem fere nunquam ſupponit congeſtiones activas, aut virium vitalium nimiam excitationem, ſed topicas plerumque cauſſas, aut eas, quae ex generali corporis conſtitutione ortae, amplectuntur ſpeciatim hoc organum.

Quod attinet primum ad rupturam vaſorum, tanquam cauſſam hydropis, negata haec eſt propior cauſſa a variis, iisque clariſſimis auctoribus. LOWERUS, obſervans dilatationem vaſorum lymphaticorum praeternaturalem, inde concludit, rupturam eorum a cauſſis internis oriri facile haud poſſe, neque, dum ab externis rumpantur violentiis, hydropem poſſe inde explicari [89]). In cujus partes MONROUS quoque abit, dum ex ſola dilatatione et

88) SPRENGEL's Handbuch der Pathologie, B. I. §. 417. 418.

89) LOWER de corde, c. 2. p. 129.

et relaxatione vaſorum lymphaticorum, ſalva eorum continuitate, hydropem declarare ſtudet [90]).

Quodſi vero conceſſerimus, hydropem quemcunque minime rupturam aut laeſionem vaſorum lymphaticorum ſupponere; negari tamen non poteſt, ubicunque haec contingat ruptura, fieri etiam collectionem lymphaticorum et ſeroſorum humorum in textu celluloſo et in cavitatibus corporis. Fracturarum et luxationum exemplo hoc egregie monſtratur, quae toties abeunt in hydropicos tumores aut in oedemata, quoties rupta ſunt vaſa lymphatica [91]). Docent etiam obſervationes antea allegatae, laeſionem uteri a violenta cauſſa externa producere poſſe hydrometram, absque aliarum cauſſarum influxu.

Deinde vero ex relaxatione et nimia dilatatione vaſorum oritur hydrometra, quia debilitata et relaxata vaſa haud rite reſiſtunt irruentibus humoribus, majoremque eorum copiam aſſumunt, quam ſanitas quidem ferre poteſt. Ex abortionibus, fluore albo, ex cacochymia univerſali oritur uteri hydrops, ſicut ex haemorrhagiis aliis et debilitate totius corporis producuntur alii hydropes. Remanent hydrometrae, ut et alii hydropes, poſt febres intermittentes: cachecticum ſtatum ſequuntur, qui affectibus triſtibus proſternentibus vires producitur, ſicut et alii tumores hydropici. Oriuntur poſt inflammationes uteri lentas, ob relaxationem vaſorum, antea, durante inflammatione, nimis excitatorum.

A ſtimulo topico adaucto pendet hydrometra, ſi ſequitur exulcerationem uteri, ſi praeſertim graviditatem uteri comitatur, de qua poſtea uberior erit ſermo.

 Ad

90) MONRO von der Waſſerſucht, p. 36.

91) SPRENGEL's Handbuch der Pathologie, B. I. §. 557. 652.

Ad impeditam rationem exhalationis et reſorbtionis, ad ſublatam ſolitam praeſertim reſorbtionem maxime reſpiciendum, ſi hydrometrae cauſſam declarare volueris. Humores ſeroſi in uteri cavo exhalati, reſorbentur ope vaſorum lymphaticorum, quorum numerus fere infinitus, longe ſuperat numerum vaſorum uteri ſanguiferorum. Vaſa lymphatica uteri minora perreptant partem mediam inter peritonaeum et fibras uteri muſculares, vaſa majora vero remetiuntur curſum inter fibras muſculares ipſas [92]. Inter innumera haec vaſa ea, quae ab inferiore uteri parte oriuntur, una cum vaſis lymphaticis veſicae et vaginae diverſis ordinibus tranſeunt in truncos iterum diviſos, qui ſimul cum proxime ſemper adiacentibus vaſis venoſis, per duplicaturam peritonaei adeunt glandulas pelvis. Quae vero numeroſiſſima itidem ex parte uteri ſuperiore emergunt, conveniunt, plexus varios formantia, ſub ovariis, ac tandem truncis duobus aut tribus juxta faſces vaſorum ſpermaticorum, prope a renibus, in glandulas ante aortam et venam cavam ſitas abeunt. Nonnulla vero vaſa lymphatica, ex externa uteri ſuperficie, ad glandulas inguinales, ſub ligamento POUPARTII, tranſeunt [93]. In horum quidem vaſorum atonia, aut ſtaſi lymphatici laticis per eadem fluentis, ſita eſt cauſſa praecipua, quae ad gignendos hydropes uteri aliquid facit. Cum vaſa lymphatica ſemper proxime cum vaſis venoſis juncta ſint, ac una cum iisdem curſum ſuum celebrent, ſtaſes quoque ſanguinis venoſi poſſunt tranſitum lymphae per vaſa lymphatica impedire, quod in aliis hydropibus frequenter ſatis animadvertimus. Plurima enim hydropum univerſalium et aſcitis genera ſupponunt ſtaſes in venis abdominalibus, varicoſas earum dilatationes, et infarctus ſic dictos venae portarum. Eodem plane modo ex menſtruorum fluxu ſuppreſſo, ex ſcirrhoſitatibus et tumoribus

92) MECKEL ad BAUDELOCQUE's Anleitung zur Entbindungskunſt, B. I. S. 147.

93) MASCAGNI vaſor. lymphat. hiſtor. et ichnograph. tab. XIV. n. 75. 89. 107. 108. 109. ſ.

ribus glandularum utero viciuarum hydropes uteri oriuntur, cum comprimuntur vaſa lymphatica atque lymphae reſorbtio vel reſorbtae tranſitus impeditur.

Hydrometra vero gravidarum praeter has cauſſas alias etiam requirit, quae in conceptus et ovi evolvendi atque cum uteri parietibus vario modo cohaerentis indole verſantur. Ovum enim primis menſibus licet adhaereat uteri parietibus, haudquaquam tamen firma fit haec cohaeſio atque arcta, donec adeo aucta ſit ovi moles, ut convexitate ſua uteri concavitatem contingat. Inter membranas ovi ipſas et parietes uteri adeſt manifeſto, praeſertim in primis menſibus impraegnationis, tenerrima, tomentoſa et flocculenta, vaſculis innumeris praedita, tunica, quam deciduam HUNTERUS nominavit. Haec a gelatinoſa lympha, ex uteri vaſis excretoriis, ob congeſtionem in graviditate inſignem, jugiter et uberrima exhalante, producitur. Congeſtio verſus vaſa uterina, in graviditate, tanta eſt, ut fidem fere ſuperet, utque vaſa inde miro modo dilatentur. Lanuginis inſtar ſe habens haec tunica recipit vaſa numeroſiſſima ex utero; inter villos ejusdem adſunt vaſa reſorbentia, quae humores exhalatos jugiter recipiunt. Inter deciduam HUNTERI et chorii externam ſuperficiem gelatina tantum primis menſibus abundat, quae vero, progreſſu graviditatis, in telam celluloſam flocculentam abit, facilius tamen ſeparandam. Obveſtit haec decidua uteri ſuperficiem etiam in iis caſibus, ubi conceptio tubaria vel ovaria locum obtinuit, ubi itaque ovum ipſum haudquaquam in uteri cavitate evolvitur 94).

Chorion inſuper cum amnio leviter tantum, telae ſaltem cellulaſae ope cohaeret, atque an ulla vaſa ab altera ad alteram tranſeant tunicam, adhuc dubi-

94) HALLER elem. phyſiolog. vol. VIII. p. 182. — HOBOKEN anat. ſecundin. human. p. 123. 126. ſ. (8. 1675.) SANDIFORT obſervat. pathol. lib. II. c. 1. p. 14. 41. — CHESTON l. c. p. 84. — MECKEL l. c. p. 172. 307.

dubitatur: poteſt itaque facilius utraque tunica a ſe invicem ſeparari. In ſtatu naturali ſaepius accumulantur humores aut vapores ſeroſi in veſica quadam, medium locum inter chorion et amnion obtinente, quam veteres forſan pro rudimento urachi habuerunt. Inter has itaque tunicas poteſt quoque absque difficultate aqua conſervari.

Liquor amnii ipſe ad gignendum hydropem uteri gravidi occaſionem praebet. Licet origines hujus liquoris adhuc haud certo ſciamus, id tamen extra dubitationis aleam poſitum eſt, hunc laticem haudquaquam transſudare ex peripheria embryonis, cum copia ejusdem ſemper eo major ſit, quo proprior origini eſt embryo: neque alia adſunt vaſa, quae exhalare eumdem poſſunt, ac vaſa numeroſiſſima tunicae deciduae, chorion et amnion forſan penetrantia. Lymphaticus eſt latex ac coagulabilis, continet itaque albuminoſae materiei copiam. In ſtatu naturali quantitas ejus, dum maturus foetus libras octo pendet, duas cum ſemiſſe libras pondo non excedit. Quo copioſior vero eſt, eo magis relaxat membranas ovi et uteri parietes, eoque plus parit difficultates in abſolvendo partu [95].

Hae itaque ſunt origines hydrometrae gravidarum. Congeſtio nimia humorum lymphaticorum verſus uterum, et praeſertim verſus vaſa tunicae deciduae, reſorbtio laticis exhalati impedita: ſeparatio facilior laxarum tunicarum, amnii et chorii: illuvies lymphaticorum humorum in hoc intermedio loco, ut et nimia liquoris amnii copia, congeſtionibus orta, abſolvunt totam hanc theoriam.

Diſcrimen denique inter lymphaticos hydropes et ſeroſos, quod LENTINIUS [96]) conſtituit, ejusmodi minime videtur, ut ad noſtri morbi theoriam poſſit applicari. Serum enim congeſtionibus paſſivis in cavitates effuſum,

95) MECKEL l. c. p. 316.

96) LENTIN's Beyträge zur ausübenden Arzneywiſſenſchaft, S. 127.

ſum, raro tantopere ſimplex eſt, ut lymphaticis particulis junctum non ſit. Flocci fere ſemper lymphae coagulabilis in ſero circumnatant: ac natura eam haudquaquam utriusque humoris ſeparationem molitur, quam artifex producit. Progreſſu autem morbi, dum mere ſeroſa antea adfuit colluvies, reſorbetur ope vaſorum lymphaticorum, quae tamen haudquaquam penitus inertia facta ſunt, fluida pars ſeri; remanet vero coagulabilis pars, quae tandem organicam indolem adipiſci et in membranaceam naturam tranſire poteſt. Hinc ſuperficies colluviei membranacea fit, ac ſacci formam aut cyſtidis refert, ſicut et in aliis cavitatibus eos hydropes ſaccatos non raro animadvertimus. Rupto vero hoc ſacco, ex hydrope cyſtico dein hydrops liber evadere poteſt. Alia vero hydropum ſaccatorum origo ex placentae degeneratione et ex hydatidibus ſpecialem requirit inquiſitionem, ad quam nosmet jam accingamus.

DE
HYDATIDIBUS VEL INTRA UTERUM VISIS VEL EX EO EXCLUSIS.

Morbus, quem jam deſcribere, tabulaque ex Ill. Praeceptoris MECKELII muſeo benigne conceſſa illuſtrare mihi propoſui, non nimis frequens eſſe videtur, atque monſtrorum ſpeciem toties prae ſe tulit, ut mira omnino atque dictu horrenda credulum vulgus in ejusmodi hydatidibus viderit, utque vel recentiores medici, quibus obſervare easdem contigit, myſtica fere aut pompoſa dictione arcana naturae tradere ſibi viſi ſint [a]).

Obſervationum rite digeſtarum copia theoriam noſtram fulciente, primum monemus, nobis neque de hydatidoſa ovariorum indole, neque de hydatidibus in externa uteri facie aut in cavo abdominis aut tumori cuidam peculiari cyſtico incluſis ſermonem eſſe. De iis tantum loquimur hydatidibus, quae in cavitate uteri ipſa, vel parietibus ipſius, vel molae cuidam adhaerentes, vel ſolitariae, libere natantes obſervatae fuere. Has autem poſſe in duo dirimi genera, nobis perſuaſum eſt: Quorum unum complectitur hyda-

a) Sic Ill. MECKELIO occurrit Lutetiae Pariſ. a ſedecim retro annis ibidem verſanti, obſtetricans, non fama ultimus, qui ejusmodi molam hydatidicam, ex utero excluſam, pro maſſa vegetabili habuit; eam cum racemo ribium comparans, cujus pedunculum efficerent vaſorum trunci; uvas vero hydatides; folia annexa partes membranaceae tam chorii quam tunicae deciduae, hydatidibus intermixtae. Quantum huic opinioni tribuerit obſtetricans; non tantum vulgo tunc temporis nota hiſtoria: d'une femme accouchée d'un groſiller; ſed id praeſertim probavit, quod delineari typisque mandari curaverit racemum ribium cum foliis eleganter inciſis, uvisque rotundis teretibusve, regulariter diſpoſitis, cum aſſertione, ſic a femina hunc prodiiſſe.

hydatides, quae, praevia conceptione, ex ſecundinis evolvuntur: alterum illas, quae abſque conceptus idea praegreſſi, ab alia cauſſa in utero generantur. Ideoque dirimendae videntur ſequenti modo.

a. Hydatides uteri a conceptu.

b. Hydatides ſterilium.

Obſervationum praecipuarum copia dua illa genera illuſtrabimus: deinde vero addemus theoriam ipſam hydatidum.

A. Hydatides a conceptu.

Solent autem hujusmodi hydatides nonnunquam ſimul cum foetu expelli: ſaepius vero abſque foetu; jam partu naturali, aut abortu excluſo, vel in ovulo ſuo plane deleto. Obſervationibus dicta confirmabuntur.

I. Hydatides uteri gravidi: cum foetu.

a. Obſervationes ipſae.

Qui primus hanc hydatidum uterinarum ſpeciem obſervaſſe videtur, incertae, ſed NERONIS tamen temporibus haud antiquioris aetatis, auctor eſt ARETAEUS Cappadox, cujus ſatis digna memoratu verba hic ſubnectamus: *Ἰδέη τις ἑτέρη ὕδρωπος ἥδε γιγνώσκεται. Κύστιες σμικραὶ, συχναὶ, πλήρεες ὑγροῦ, ἐγκέονται τῷ χωρίῳ. Ἔνθα ὁ ἀσκίτης ξυνίσταται. ἀτὰρ ἢν ἐμπλέωσι τῷ πολλῷ ὑγρῷ. Τέκμαρ δὲ. ἢν γὰρ τετρήνας τὸ ἐπιγάστριον, ἐκχέῃς ἐπὶ βραχείῃ φορῇ τοῦ ὑγροῦ, ἔνδοθεν ἂν ἐπέφραξεν ἡ κύστις, κἢν τὸ ὄργανον διώσῃ, αὖθις ἐκρέει. Τόδε μέντοι τὸ εἶδος οὐκ εὔηθες. Πόθεν γὰρ ἂν ἐκπέσωσιν αἱ κύστιες, οὐδὲ οὐκ εὔπορος. Λόγος δὲ μετεξετέροισιν, ὅτι ἧκον κοτε δι' ἐντέρων τοιαίδε κύστιες, ἐγὼ δὲ οὐκ ὄπωπα* etc. i. e. „Alia quaedam hydropis ſpecies talis agnoſcitur: in ea veſiculae

1) ARET. de cauſſ. et ſign. diut. morb. lib. II. c. 1. p. 51.

„veſiculae quaedam puſillae, crebrae, humoris plenae, chorio incumbunt. „Ceterum, quod humore multo refertae ſint, illud judicio eſt: ſi abdomen „perforaveris, parum admodum humoris effundes: ab interiore enim parte „veſica occluſit: at, ſi in veſicam inſtrumentum impuleris, iterum ſuccus „emanabit. Haec utique ſpecies haud levis eſt. Unde enim id genus ve-„ſiculae eruperint, via haud facile reperitur. Alii affirmant, hujusmodi „ampullas per inteſtina tranſiiſſe: ego vero id nunquam vidi etc.„

Poſt eum BAUTZMANNUS hiſtoriam abortus narravit, [2]) quem ſympto-mata varia, febricula et intenſiſſimus calor, vomitus cruentus, moles ab-dominis inſolita, praeceſſerant. Cum foetu gangraena hinc inde correpto maſſa veſiculis obſita expellebatur. Auctor mortem foetus ex nimio molae incremento non ſine veriſimilitudine derivat.

PHILIP. JAC. HARTMANNUS [3]) a recens nupta muliere excretas vidit binas veſiculas, quarum altera foetum tenerrimum continebat. Secundo die lacerae particulae abierunt cum ſanguinis profluvio, quas partes chorii et placentae rudiores auctor arbitratur.

Tertio menſe graviditatis ſimiles veſicas expulſas fuiſſe, alio loco legimus [4]).

Poſt haemorrhagias uteri et vomitus VALLISNIERI vidit excretas veſicas innumeras, membranae communi incluſas, cum foetus rudimento male formati. Ex particula congeriei veſicularum numerum earum ad ſex millia aeſtimavit. Milii granorum aut globorum ſclopetariorum magnitudinem aequabant: vel racematim vel ſine ordine diſpoſitae. Aquam continebant inſipidam, albuminoſam, a reagentibus vulgaribus nullo modo mutatam [5]).

Placentae

2) Ephem. nat. curioſ. dec. II. ann. 8. obſ. 50. p. 131.

3) Ibid. dec. II. ann. 10. obſ. 157. p. 246.

4) Breslauer Sammlungen, J. 1720. S. 215.

5) Ephem. nat. curioſor. dec. II. ann. 9. obſ. 38. p. 74.

Placentae uterinae, una cum ſex menſium, vita deſtituto, maſculo abortu de utero mulieris expulſae, in hydatides racemoſas degenerationem belle illuſtravit BIDLOOUS [6])

In quadrimeſtris foetus placenta, quae ſimul cum eo egeſta fuit, MORGAGNIUS vidit veſiculam aqua plenam 7).

Immediate poſt partum infantis tenerrimi excrevit puerpera ſimul cum lochiis ingentes veſicas aqua plenas [8]).

Similem refert SCHURIGIUS 9) et quidem propriam obſervationem. Inſolitum habebat volumen gravidae venter, ut gemellos geſtare videretur. At poſt dimidiae horae ſpatium, poſt excluſum foetum, ingentem hydatidum copiam, inſtar racemorum, ſibi invicem connexorum ex utero extrahebat obſtetrix: differentis erant magnitudinis a piſorum ad globulorum luſoriorum, nucum moſchatarum, atque juglandium, imo ovorum gallinaceorum magnitudinem adſcendentes.

WRISBERGIUS ſimilem caſum obſervavit in muliere, quae naturaliter ceteroquin, foetu licet mortuo, pepererat, ſecundinarum vero retentione laborabat. In iis tandem poſt 14 horas a partu eductis, copiam hydatidum ſuper 130 vidit, magnitudine omnino diverſas [10]).

Idem in embryone abortivo quadrimeſtri integrum ovum vidit innumeris veſiculis obſitum. Embryo ipſe corruptioni proximus [11]).

6) BIDLOO Exercitat. anat. chirurg. II. p. 18. (opp. 4. Lugd. Batav. 1715.)

7) De ſedib. et cauſſ. morb. ep. XLVIII. n. 13.

8. FABRICIUS in act. nat. curioſ. vol. X. obſ. 36. p. 121.

9) Embryol. ſect. VII. c. 3. p. 699.

10) Nov. Commentar. Götting. vol. IV. p. 72.

11) Ibid. p. 73.

Gravida primum ejecit molam cruentam ſanguine obductam, deinde veſiculoſam maſſam, duos pugnos magnitudine exaequantem, tandemque foetum [12])

Similem HARTMANNIANAE obſervationem habet SANDIFORTIUS [13]).

Jam hic obſervationum, ab Ill. MECKELIO inſtitutarum, quae diſſertationi anſam dedere, optimus locus eſſe videtur. En ipſius verba: Nobilis hujus loci matrona, per octo menſium ſpatium dubiis graviditatis ſymptomatibus vexabatur; in auxilium vocatus, praeter illa ſigna, nauſeam nempe, vomitum matutinum, faciem pallidam, palpebrarum livorem, menſium emanſionem etc.; alia, quae graviditatem omnino confirmabant momenta ſeſe obtulere; tumentia enim ubera ſeroſum preſſa emittebant humorem; uteri regionem praeſertim expanſam tactu abdominali dignoſcere licuit; per vaginam exploratio inſtituta altam orificii uterini ſedem, habitum ipſius molliusculum cum interſtitio inter labia rimae diſtincte ſentiendo; cervicem brevem, mollem; expanſum uteri corporis ſegmentum inferius, declaravit. At ſpuriam eſſe graviditatem ipſam, edocuit haec diſquiſitio, cum mollior eſſet abdominis ambitus uterinus, quam qui in provecta adeo graviditatis periodo eſſe ſolet, minusve tumens; mollius cum ſentiretur uteri ſegmen inferius, quod capite foetus alias adeo diſtincte inſignitur. Deficientibus omnibus ſignis, praeſentiam foetus vel tactui explorantis vel ſenſibus matris declarantibus; fluctuationis ſenſum potius offerente abdomine, etiam dum ſitum mutabat gravida; diagnoſi hinc graviditatis ſpuriae certiori facta; prognoſis facilis; levamen ab ultimo graviditatis termino exſpectandum erat. Elapſo vero et ultimo graviditatis menſe, adhibitis interim vel nullis, vel innocuis medicaminibus, nulla praeter exiguum abdominis augmentum, mutata fuere.

12) GUTERMANN in act. nat. curioſ. vol. III. obſ. 78. p. 262.

13) Obſ. anatom. patholog. lib. II. c 3. p. 78. 81.

fuere. Vagis nonnunquam recurrentibus ſpaſmis tam in abdomine quam in genitalibus; elapſo jam ſolito partus ſtadio; lenia excitantia interne, externe vero ſemicupia in uſum vocata fuere; quorum efficaciae natura ſub finem decimi menſis ſolaris ſuam addidit; enatisque doloribus veris aliquot, cum exiguo ſanguinis profluvio, dilatato ſenſim orificio uteri, ſimul et una vice expulſa fuit elegans mola hydatidica, quam Tabula appoſita I[ma] offert. Monendum tamen, non adeo diſtincte ſtatim ſeſe obtuliſſe partes in hoc typo conſpicuas; hydatides enim effuſo cruore obtectae erant, non niſi cauta maceratione in aqua ſecedente; ubi elegantes tunc hydatidum racemi una cum vaſculis, quibus appendebant, uti in D. D. D. aliisve in locis apparet, conſpicuae reddebantur. Excellebat quidem in ſuperiori molae loco poſita veſica liquore amnii turgida, obſita tamen et haec hydatidibus erat, quibus remotis, diſciſſisque membranis ovi, uti in B videre eſt, effuſoque amnii liquore; levis et unica apparuit a levi amnii membrana effecta ovi perfecti cavitas C; tandemque egregius ad digitorum apices perfectus ſeſe obtulit foetus, cujus evolutionem non ultra mediam tertii graviditatis menſis partem duraſſe, omnia et ratione magnitudinis et formae loquuntur. Veſicula umbilicalis, quam litt. F. exponit, terminum aetatis foetus dictum confirmat.

Femina, hoc partu liberata, felix quidem puerperium transegit; hoc vero peracto non integerrima ſanitate gaviſa eſt; chlorotica evaſit; menſium irregularis fuit effluxus; poſt anni et ultra decurſum hydropica ita evaſit, ut tam anaſarca, quam aſcite laboraret. Remediis internis ad tollendum malum non ſat facientibus, paracenteſis abdominalis intra duorum menſium ſpatium bis repetita fuit ejusque ope magna lymphae turbidae, imo ſanguinolentae copia extrahebatur. Simul phthiſeos pulmonalis accedentibus ſymptomatibus, e vivis erepta fuit.

Sectione cadaveris inſtituta, praeter univerſam emaciationem huc et illuc glandularum meſenterii conglobatarum labes ſcrophuloſa ſeſe manifeſtavit.

feſtavit. Peritonaei ſtatus fere naturalis erat, licet et nunc latex ſeroſo-ſanguineus ejus cavum repleret. Maximo momento digna erat omenti (Litt. L.) cum ſingulari fungoſa uteri excreſcentia (H. H.) concretio, eaque oculos prae ceteris feriebat, cum ſupra inteſtina pergeret. Diſciſſo et reclinato omento, ultra pelvis limites ſuperiores eminens apparuit fungus rubicundus ipſe, mollis, ſanguinem ſub leni preſſione effundens. Hicque, diſciſſo ſectione cruciata utero, ex ejus corpore originem traxiſſe viſus eſt, cum ejus portio H., parietes fundi uteri ejusve corporis diſtendit ita, ut complanatae ceterum ſuperficies ipſius, nunc excavatae appareant, omnisque uteri cavitas e compreſſa in rotundam mutata ſit. Primae originis locum ſubſtantiam fundi uteri ipſam fuiſſe, ex eo apparet, quod ſimilis degeneratio in media ipſius parte (K. K.) adſit; unde et factum eſt; ut, dum ejusmodi tumores intra uteri cavum enaſcentes vulgo inferiora petunt et polyporum ſub forma in vaginam propendent, hic ſuperiora inſolito more petierit et intra abdominis cavum excreverit. Congeſtio inde ad uterum facta elongationem cervicis uteri quidem, cum aliqua ſubſtantiae tam hujus, quam corporis uteri augmento effecit, nullam vero in partibus adjacentibus mutationem; uti per litt. B. E. F. G. patet. Phthiſeos pulmonalis phaemena pulmonum corruptio dilucidavit, cum partim denſi, nodoſi, partim magnis vomicis minoribusve, cum aſperae arteriae ramorum cavis communicantibus oppleti reperirentur.

TABULARUM EXPLICATIO.

TAB. I.

Molam hydatidicam decimo graviditatis menſe utero excluſam offert, cum foetu decem circiter hebdomadum poſt conceptionem, aetatis, integerrimo.

A. Decidua uteri, placentae loco, dextram molae regionem tenens.

B. Chorion et amnios per longitudinem diſciſſa.

C. Cavitas

C. Cavitas ovi a levi ſuperficie interna membranae amnios effecta.

D. D. D. Hydatides majores minoresve per omnem ovi ambitum ſparſae. Exactius rimatis, apparet: plurimas e vaſis per ramos diſperſis, nunc venarum modo, rectis, nunc arteriolarum modo intortis dependere.

E. Foetus jam ad apices digitorum usque perfectus.

F. Funis umbilici, veſicula praeſertim umbilicali conſpicuus.

TAB. II.

Uterus, ſectione cruciata per anteriorem faciem ducta apertus cum excreſcentia fungoſa, partim intra cavitatem corporis ipſius conſpicua; maxima vero e parte ſupra ipſius fundum eminente.

A. A. Fundus uteri.

B. B. Corpus uteri, a complanata figura in rotundam mutatatum.

C. C. Cervix uteri praeter naturam elongata.

D. Orificium uteri externum.

E. E. Tubae Fallopii cum fimbriis in hoc ſubjecto nitide expanſis, aperturam abdominalem cingentibus.

F. F. Ligamenta uteri lata.

G. G. Ligamenta uteri rotunda.

H. H. H. Excreſcentia uteri fungoſa, ſupra uterum eminens et in uteri corporis cavum excedens.

K. K. Pars uteri fundi eodem modo corrupta.

L. Omenti Gaſtro-Epipl. portio cum fungo praeter modum nexa.

Addo

Addo jam aliam notatu dignam obſervationem mihi ab eodem Viro, circa molam hydatidicam communicatam; praeter quam et antedictam duas alias, alteram tertio graviditatis menſe, alteram legitimo partus termino excluſam vidit absque notatu dignis ſymptomatibus:

N. N. femina 24 annorum, nuper maritata, prima vice gravida, ſub finem ſeptimi graviditatis menſis oedemate pedum laboravit; abdominis intumeſcentia, licet mollis, una cum menſium emanſione, accedentibus incertis graviditatis ſignis, hujus ſuſpicionem effecerant, cujus ergo conſilium a me petiit. Mixtum eſſe morbum, jam aegrae facies et reliquus habitus declarabant; vix enim a graviditate ſola repeti poterat faciei livor, habitus cachecticus, color flavus, ad motus corporis inertia, debilitas ſumma, quam aegra querebatur, quamque pulſus una cum reliquarum functionum lentore confirmabat. Summe laborioſa ſimul aderat reſpiratio. — Abdominis adeo univerſalis intumeſcentia erat, ut praeter fluctuationem, primo tactu, nullus peculiaris uteri diſtenti ſenſus diſtingui poſſet; accedente vero exploratione per vaginam; mollis ſegmenti uteri inferioris expanſio cum parum eminente uteri cervice, duro huic annexo orificio, illum oppleri maſſa aliqua, ſed nequaquam pene perfecto, ut hoc tempore eſſe debebat, foetu, evidenter patuit. — Adhibitis leniſſimis ad morbum hydropicum tollendum medicamentis, convaluit aliquantum aegra, difficilis praeprimis reſpiratio aliquantum levata fuit; ſed nunc acceſſere ex utero defluxiones nunc ſeroſae, nunc ſanguinolentae, tandem ſanguineae, a quibus et antea non in totum libera fuerat, nunc vero copia excellentes. His nondum in totum ſedatis, colicis ſimiles dolores primo, dein veri enati ſunt, quorum ope cum rivo ſanguinis erupit hydatidum ſero ſanguinolento repletarum faſciculus; durum et renitens uteri oſtium non niſi fruſtulis, ex hydatidibus effectis, ſucceſſive exitum conceſſit; nec facili arte vel major molae portio, cujus attractionem ſemper haemorrhagia valida comitabatur, nec a natura omnis

ex-

expulſis perfici potuit; cum, debilitata jam a praegreſſo morbo, a validis, quas perpeſſa erat, ſanguinis deperditionibus, remediis et nunc ad ſiſtendum ſanguinem incaſſum adhibitis ſtypticis tam interne quam externe, animam efflaret. — Sectio abdominis aquis innatantem patefecit uterum, volumine illi ſimilem, qui ſexto graviditatis menſe tumet; annexa ovaria vigeſies ad minimum magnitudinem naturalem excedebant, eorumque inaequalis ſuperficies a lympha, per membranas attenuatas transparente, turgida conſpiciebatur; ita, ut et haec in hydatides mutata quaſi apparerent. — In aperto utero, qui una cum ovariis in muſeo aſſervatur, obſervatur ſubſtantiae admodum adaucta craſſities cum maxima molae hydatidicae portione uteri parietibus adhaerente, dum alia portio ejusdem ſoluta ex anguſto orificio conſtricta propendet.

b. Epicriſis.

Hydatides ipſae, una cum foetu, plerumque abortivo, excretae, a pluribus auctoribus pedicellatae, ſubgloboſae, aqueo humore plenae, petiolis propriis aut filamentis inſtructae deſcribuntur. Racematim diſpoſitae erant, et vel placentae inhaerebant, vel ſeparatae ab hac, ovulo, vel absque placentae veſtigio, una cum ovo excernebantur. Foetus una egeſtus interdum corruptus, emaciatus, deformis deprehendebatur; maſſae hydatidoſae innatans, vel ab ea ſeparatus.

Majori molae noſtrae perfectioni naturali una ex parte, ex altera vero exactiori ipſius diſquiſitioni tribuendum eſſe videtur, quod ea, quae filamentorum nomine inſignita fuere, revera vaſa eſſe, declaretur. Hinc et racemoſa hydatidum diſpoſitio elucefcit. Foetuum hac aetate tenerrimorum facilis deſtructio multis ſane earum obſervationum anſam dedit, infra recenſendarum, ubi absque conceptu hydatidicas molas excretas fuiſſe, refertur. Noſter omnino loquitur non praeſentiam foetus tantum, ſed ſummam, qua hac aetate pollere poteſt, perfectionem. Mira ipſius in utero per

ſeptem ad minimum menſes conſervatio illi tribuenda eſt, quod per omnem graviditatem ab aëris contactu immunis manſerit, ovi membranis ipſius acceſſum impedientibus. Similes caſus aliis in molis, in ovis abortivis praeſto ſunt. Quater ex eadem femina ova abortiva tertii menſis cum foetibus integerrimis ejusdem aetatis, ſub finem noni demum graviditatis menſis eliminata aſſervat Ill. MECKELIUS.

Ad debitum tempus usque geſtatio uteri gravidi raro tantum perficiebatur: ſed abortus videbatur his veſiculis eo modo procuratus eſſe, quod nutritio foetus impedita eſſet praeternaturali humorum aquoſorum congerie in veſiculis. Attamen, etiam ante mortem foetus degenerationes has contingere poſſe, ex WRISBERGII elucet obſervatione. Allatae duae noſtrae obſervationes declarant: etiam ad ultimum graviditatis terminum imo ultra ipſum in utero ſervari poſſe ejusmodi maſſas, quod et aliarum molarum exemplo facile illuſtraretur.

Quod vero ejusmodi hydatides ea ratione ab aliis mox deſcribendis differant, ut petiolis ſolae inſtructae ſint, atque cum vaſis cohaereant, quae cum foetu excernantur, eae hydatides, quae placentae in utero relictae inhaereant, rotundae ſint atque a vaſis ſeparatae; haec quidem differentia obſervationibus jam adducendis haudquaquam confirmatur. Secunda nimirum ſpecies hujusmodi hydatidum petiolis ſuis aequo modo inſtruitur ac prima, atque eodem ſaepius modo cum vaſis cohaeret [14]).

Informis gelatina, guttulâ incluſa, quae primum foetus rudimentum continet, aliquid ſimile jam complectitur illius veſicae, quae poſtea cum defectu nutritionis foetus, excernitur. Secundinae ſiſtunt primis poſt conceptum ſeptimanis veſicam membranaceam, extus villoſam; quae ſi diutius hanc formam retinet, in hydatides demum abit.

Accedit

14) BURDACH apud SANDIFORT l. c. p. 86.

Accedit ALBINI ſupra jam allegata obſervatio anatomica de vaſis deciduae hydatidoſa forma terminatis, unde quoque nutritionem foetus deficere, ſi huc congeries humorum ſeroſorum fiat, facile eſt concludendum.

Simul liquet ex adductis obſervationibus non ſolum majorum, ſed etiam minorum foetuum placentas in hydatides degenerare poſſe, quamvis RUYSCHIUS majorum foetuum placentis ſolis talem mutationem convenire adnotaverit [15]). Nec ſola placenta, ſed quandoque univerſum ovulum in hydatides mutatur; cum foetu, aut absque foetu. Quin etiam ex ipſius RUYSCHII obſervationibus conſtat, funiculum umbilicalem tot veſiculis praeditum ipſi nonnunquam occurriſſe, ut totus videretur concatenatus veſicularum aqueo humore refertarum [16]).

II. Hydatides ſecundinae: ſine foetu . . . Falſa graviditas.

Veſiculis in utero generatis feminas nonnunquam exiſtimare, ſe gravidas eſſe, CHRIST. A VEGA profeſſor Complutenſis ſaeculo XVI., jam animadvertit. Ventrem enim inde intumeſcere, menſes retineri: mammas dolere; vigiliis, inſomniis terrificis, interdum febricula, et ſpirandi difficultate torqueri. Exemplum adducit, ubi haec ſymptomata mulier per ſex menſes paſſa ſit, ſimul quoque foetum in utero moveri ſenſerit. Quo tempore praeterlapſo, ſeptem fruſta carnea, membranis involuta, ſimul cum ſeptuaginta veſicis, aqua pallida plenis, excreta ſunt. Tota autem moles duodecim fere libras pependit [17]).

Duobus ſimilibus exemplis falſam hanc graviditatem illuſtrat FRANC. VALLERIOLA; ubi, ſex menſibus praeterlapſis, poſtquam vulgaria graviditatis ſym-

15) Obſervation. anatom. chir. 28. p. 34.

16) Theſaur. anatom. VI. n. 45. p. 33.

17) CHRIST. A VEGA de arte medend. lib. III. ſect. 10. c. 13. f. 322. b. (fol. Lugd. 1561.)

ſymptomata praeceſſerant, cum terrificis phaenomenis et parturientium doloribus, globus membranaceus, bullis aquoſis repletus, excernebatur. Sanies bullis contenta, diluta erat et citrini coloris. [18])

LUDOVICUS MERCATUS ipſe quoque expertus eſt, uxoris pro gravida habitae cadaver ſectum monſtraſſe tandem veram ψευδοκυήσεως cauſſam, ejusmodi nimirum bullarum congeriem, quam pro molae ſpecie habuit. [19])

Ad debitum ſaepe tempus partus uſque geſtari talem veſiculoſam maſſam, tumque vel ſummis parturiendi conaminibus, haudquaquam tamen poſſe divinari, obſervatio docet STALPAARTI VAN DER WYL, [20]) qui poſt novem tandem menſes obſtetricis artificio fuiſſe extractam hanc maſſam, narrat.

Fruſtulatim nonnunquam ſecedere molem eandem, quae veſiculis repleta, adipoſa erat, ac inordinatum menſium fluxum et cetera impraegnationis ſymptomata ſequebatur, docet celebre TULPII exemplum. [21])

JO. DE MURALTO obſervavit in femina, quae gravidam ſe arbitrabatur, per tredecim ſeptimanas vomitus creberrimos, cum cardialgia et ſiti enormi, quae quidem ſymptomata deinde tranſierunt in haemorrhagias abortum minitantes. Tunc vero cum parturientis doloribus excreta eſt placenta tantae molis, quanta cum foetu viginti quatuor ſeptimanarum obſervatur: cui adhaerebant innumerae fere veſiculae, piſorum, nucum avellanarum, juglandum magnitudine, racematim cohaerentes, filamentisque junctae, quae aquam

18) VALLERIOLAE obſerv. medic. lib. I. obſ. 10. p. 78.

19) MERCAT. de affect. mul. lib. III. c. 8. in Gynaec.

20) Obſerv. medico-chirurgicar. l. III. obſ. 70. p. 301.

21) Obſ. lib. III. n. 31. p. 247.

aquam pellucidam, nonnullae vero parum turbidum continebant, et in quas vaſa ſanguifera manifeſto terminabantur. [22])

Tempore partus legitimo, poſt praegreſſa graviditatis ſigna, juxta SCHELHASII obſervationem, [23]) excreta fuit moles, tres libras pondo, ex hydatidibus arcte cohaerentibus conflata, quae tremulo motu conſpicua, adſtantibus terrorem injecit.

Quarto graviditatis menſe, cum parturientium doloribus enixa eſt mulier bullularum infinitum fere numerum, membrana propria involutarum, quae tetrum foetorem ſpirabant, atque cantharos fere tres implebant. HANNAEI eſt obſervatio. [24])

Poſt ſigna vera graviditatis duobus fere menſibus perſtitit haemorrhagia enormis et diuturna, cum ſiti ingenti et molis abdominis celeriori incremento. Octodecim tandem menſibus praeterlapſis, parturientium dolores contingunt: quatuor repetitis vicibus enixa eſt mulier veſiculas membranaceas innumeras, ad ſpermatis ranarum inſtar ſecum nexas, piſorum, avellanarum aut juglandum magnitudine. Super easdem excurrebant vaſa ſanguifera, atque inter eas latebant corpora glanduloſa aut acini. [25])

BAUTZMANNUS obſervavit in gravida, varia ſymptomata, praeſertim crebros vomitus, febriculam, haemorrhagiam uterinam, quae tertio demum menſe ita ingraveſcebant, ut abortus metueretur. Cum doloribus hypochondriorum et crurum atrocibus excernebantur ſecundinae, poſtea autem ſine ullo dolore mola veſicularis. [26])

Secun-

22) Ephem. nat. curioſ. dec. II. ann. 2. obſ. 95. p. 237.

23) Ib. ann. 3. obſ. 157. p. 304.

24) Ib. ann. 4. obſerv. 114. p. 221.

25) JO. MAUR. HOFFMANN. in Ephem. nat. curioſ. dec. III. ann. 6. obſ. 164. p. 329.

26) Ib. ann. 8. obſ. 50. p. 130.

Secundum MÜLLERI obſervationem mulier quaedam per plures menſes lunari tributo expers, vomitus tandem vehementes et haemorrhagiam paſſa eſt, quam ſubſequebatur mola ſanguinea, deinde vero veſicularis, ex plurimis hydatidibus, aqua limpida repletis, conflata. [27])

Cum ſignis graviditatis, proſtrato appetitu, laſſitudine inſueta, oedemate pedum, tertio denique menſe acceſſit haemorrhagia cum deliquiis animi et parturientium doloribus. Quinque vero partitis vicibus enixa eſt mulier placentae ſimile corpus, e veſiculis compoſitum. [28])

VALLISNIERI plurimas huc pertinentes obſervationes inſtituit: prae aliis vidit poſt haemorrhagiam cum ſignis graviditatis contingentem, excretam maſſam, ovario gallinarum ſimilem, ex veſiculis filamento nexis conſtantem, quae quatuor fere libras pendebat. Veſiculae replebantur liquore coagulabili. [29]) Majorem idem auctor molem libras ſedecim pondo, ſub iisdem conditionibus excretam vidit. [30])

BIDLOOUS narrat, a medicaſtro quodam mulieri extractas fuiſſe veſiculas innumeras pendulas, quae pro ovis, ab incantatione ortis, vendebantur. [31])

Apud ABRAHAM. VATERUM [32]) exſtat aliud exemplum placentae, cui veſiculae, caſtanearum ſimiles adhaerebant.

Mulier

27) Ib. cent. V. obſ. 55. p. 86.

28) WOGAU ib. cent. IX. obſ. 85. p. 191.

29) Ib. obſ. 73. p. 164.

30) Act. nat. curioſ. vol. I. obſ. 166. p. 362. — Conf. ejusd. Raccolta di varj trattati, p. 83. (8. Venez. 1715.)

31) Exercit. anat. chirurg. II. p. 17.

32) Reg. muſ. anatom. catalog. univ. p. 11. (4. 1736.)

Mulier, quae ſexto menſe gravida putabatur, poſt parturientium dolores, cum grumis ſanguineis excrevit millia veſicularum filamentis ſecum nexarum, quae piſa aut avellanas magnitudine referebant. [33])

Cum ſummis cruciatibus excrevit mulier maſſam carneam, cui nectebantur ducentae fere veſiculae, filamentis ſecum cohaerentes. [34])

LITTRII obſervatio eſt, ſecundo graviditatis menſe mulierem lapſam fuiſſe, unde effluxus feroſus ex matrice: abdomen adhuc magis turgidum, orificium tamen uteri juſto plus denſius: tandem excretum fuiſſe acervum veſicularum filamentis ſuſpenſarum. [35])

Poſt haemorrhagias praegnans mulier enixa eſt molam veſicularem, cujus bullae communi pedicello terminatae, racematim diſpoſitae erant. [36])

Eleganter expreſſit SANDIFORTIUS tabulis ſuis hydatides placentae, quae graviditatem mentiebantur: quinto impraegnationis menſe dolores acerbi, haemorrhagiae inſtantem abortum annunciare videbantur: expulſae ſunt tandem hydatides innumerae, ex vaſis manifeſto ortae, diſco communi adhaerentes, albido turbidoque humore repletae. [37])

Cum ſignis graviditatis laſſitudo inſignis et haemorrhagia inſtabant: orificium uteri molle altumque. Cum parturientium tandem doloribus evacuatur placentae ſimile corpus veſiculis cinctum racematim diſpoſitis, et filamentorum ope ſuſpenſis. Lochia poſtea fluebant. [38])

No-

33) Obſervations ſur la groſſeſſe et l'accouchement, par MAURICEAU, obſ. 377. p. 313.

34) VENETTE de la génération, part. III. ch. 4. p. 440.

35) Hiſtoire de l'academie des ſcienc. à Paris, ann. 1715. (8. Amſt. 1719.)

36) ALBRECHT in commerc. liter. Noric. an. 1738. hebdom. 28. p. 220.

37) SANDIFORT. obſervat. anat. pathol. lib. II. c. 3. p. 83. tab. VI. fig. 5. 6.

38) WEGELIN in STARK's Archiv der Geburtshülfe, B. IV. St. 1. S. 110.

Noviſſimum eſt exemplum, quod DESGRANGES retulit, cum jam dictis congruens. Ad ſextum nempe menſem uſque graviditatis ſigna, orificium uteri clauſum: haemorrhagia tandem enormis; artificio non vulgari medicus obſtetricans ſolvit maſſam hydatidoſam. [39])

E P I C R I S I S.

Ex his itaque elucet, hydatides ſine foetus ullo veſtigio, graviditatis ſpeciem prae ſe ferre, ut vel cautiſſimus medicus in dignoſcendo utroque ſtatu falli poſſit. Ad ipſum partus tempus uſque vulgaria adſunt impraegnationis ſymptomata, ipſique parturientium dolores. Sed ad diagnoſin ſtabiliendam, quocunque demum modo id fiat, ſequentia notanda:

1. Praeter graviditatis ſueta ſymptomata alia ſemper aut ſaltem plerumque cum hoc ſtatu eſſe juncta, non vulgaria, quae vere morboſum ſtatum indigitant. Laſſitudo enim inſolita, appetitus penitus proſtratus, oedemata pedum nimis cito graviditatem comitantur falſam.

2. Praeſertim vero effluxus vel feroſus vel cruentus ex matrice in primis impraegnationis menſibus ſignum praebet, veram et legitimam haudquaquam adeſſe graviditatem.

3. Nimis cita deinde uteri expanſio, quae cum graviditatis tempore non congruit, falſae graviditatis ſignum ſatis certum eſſe videtur.

4. Proclivitas ad abortum cum torminibus ventris et preſſionis ſenſu verſus inferiora abdominis propagato, absque cauſſis tamen manifeſtis.

5. Nullus plerumque motus ei ſimilis, qui a vivo foetu percipitur, in hac falſa graviditate animadvertendus, niſi, et raro quidem, anologa fluctuatio percipitur ei, quae a flatibus pendet.

6. In-

39) HUFELAND's Annalen der franzöſiſchen Arzneykunde, Th. II. S. 244.

6. Infrequentes ſatis ſunt obſervationes STALPAARTI et SCHELHASII, ubi ultra ſextum impraegnationis menſem ſecundinae hydatidoſae geſtantur. Plerumque tertio, vel ſexto tandem menſe eliminantur.

Praeterea diſcrimen memoratu ſatis dignum maſſae hujus hydatidoſae notandum. Aliae ſunt intime junctae maſſae carneae, quae placentae ſimillima, imo ipſa eſt placenta: hujus vero vel inhaerent telae celluloſae, vel filamentis cum ipſa cohaerent. Aliae globum referunt, veſiculis plenum, totum membrana communi cinctum, nulloque diſco aut centro carneo praeditum. Aliae ſiſtunt veſiculas plures vel ſolitarias vel filamentis atque petiolis ſecum junctas. Quod quidem diſcrimen preſſit atque illuſtravit prae aliis DESGRANGES citatus.

Humor, quem veſicae continent, eſt modo rubicundus, ut ſanguine parum tinctus appareat, jam limpidus, aquae purae ſimillimus, nunc vero turbidus, lacteus, coagulatus.

Vaſis ſanguiferis plerumque inſtructae videntur veſiculae, quae quidem SANDIFORTIUS manifeſto demonſtravit.

Tremulus ſaepius motus veſicularum animadverſus eſt, qui vel a gelatina tremula, vel a filamentorum tenſione pendet, atque variis creduli vulgi fallaciis occaſionem praebuit.

Naturae conaminibus moles haec eliminatur ſaepiſſime: exſtant tamen variae obſervationes, ubi vires mulieris non ſufficientes artis auxilium requirerent, atque connata forſan cum uteri parietibus maſſa artificio deberet expelli.

Sanguifluxus, lochiorum ſpeciem prae ſe ferens, fere ſemper ſequebatur; praeſertim dum maſſa hydatidoſa vel cum uteri parietibus coaluerat, vel cum mola carnea jungebatur.

III. Hydatides fecundinae poſt partum naturalem relictae.

Exſtant inſuper apud obſervatores veraces caſus, ubi partu legitimo abſoluto relinqueretur placenta, et deinde degeneraret in hydatidoſam maſſam, quae poſtea denique expelleretur.

RUYSCHIUS praeprimis hanc hydatidum ſpeciem obſervationibus illuſtravit. Multoties ſe vidiſſe teſtatur, quod ex remanente et in utero relicta placenta haemorrhagiae cum inſolito abdominis tumore, dyſpnoea, anorexia, anxietate, pedum oedematibus, animi deliquiis oriantur, quo facto denique expelleretur placenta tali modo degenerata. [40])

HARTMANNUS ſimilem caſum obſervavit in muliere, quae fatis fauſtis quidem ominibus pepererat, relictis tamen ſecundinis. Sequebatur anxietas praecordiorum, menſtrua evanuerant, unde anxietas adhuc augebatur. Cum ſanguinis denique profluvio excreta fuit maſſa cruenta, in cujus media parte veſica glutine limpido repleta continebatur. [41])

Immortalis maxime HALLERI obſervatione RUYSCHII opinio illuſtratur, qui in placenta, poſt partum in utero relicta, veſiculas plures, alias rubro, alias gelatinoſo albido muco plenas vidit. [42])

Verum itaque omnino videtur, ex placenta poſt partum in utero relicta oriri facile poſſe hydatides, ſi vaſa ſanguifera nimis dilatentur, ac humores ſeroſos recipiant, unde funiculus etiam initio flacceſcere; deinde vero penitus ſecedere atque corrumpi debet. At vero de his poſtea plura adhuc moneamus. Cum autem varii narrentur ab obſervatoribus fide dignis caſus,

40) RUYSCH. obſervat. anatom. chirurg. 28. p. 34. obſ. 33. p. 43. fig. 34. 35. — Theſaur. anatom. II. n. 8. p. 15. — X. n. 63. p. 27.

41) Eph. nat. curioſ. dec. III. ann. 5. 6. obſ. 206. p. 460.

42) Opera minora, vol. III. obſ. 48. p. 344.

caſus, ubi vel graviditas nulla praeiiſſe videretur, vel, licet illa praegreſſa, placenta cum foetu feliciter expulſa fuerit, tamen tempore longo praeterlapſo hydatidum acervus eliminaretur: hae quoque obſervationes ſubjungendae videntur.

B. Hydatides ἀνάπτων.

Molam hydatidoſam, quam haec ſpecies conſtituit, poſſet profecto aliquis ex placenta diu jam in utero relicta et per plures annos ibi deliteſcente explicare, niſi obſtarent variae tamen obſervationes, quae vel in virginibus, vel in vetulis, diu jam ἀνάπτοις, vel vero in iis mulieribus inſtitutae ſunt, quarum ſecundinae nequaquam relictae in utero, rite poſt partum receſſerunt. Hac itaque obſervationes explicandae videntur, ſicut polypi fugaces LEVRETII, ſeu polypi veſiculares, humore limpido gelatinoſo repleti, qui apud vetulas in annis climactericis non raro oriuntur ex impedito ſanguinis circuitu per vaſa uterina, et inde producta ſeroſitate aut pituitoſitate humorum effuſorum.

AËTIUS jam, aliquando corpuſcula quaedam, veſicae fellis ſimillima, in utero vetularum generari, quae humore repleta ſint, edixit. [43]

Sic quoque LOSSIUS [44] narrat, viduam quadragenariam, abdomine hydropico, geſtaſſe in utero per ſex continuos annos molam ſine ulla moleſtia, praeter gravitatis ſenſum. Mola haec ex veſicis plurimis, juglandum magnitudine, tenacibus et craſſis conſtabat, quae aqua limpida ſcatebant, filamentisque erant nexae. Mola utero adnata libras quindecim pependit.

43) Tetrab. IV. ſerm. 4. c. 79. p. 678.

44) Obſervat. medic. lib. IV. obſ. 16. p. 359. (4. Lond. 1672.)

KANNEGIESSERUS obſervavit [45]) ſeptuagenariam anum, poſt hydropis ſymptomata ejeciſſe hydatidum copiam per vaginam, quo facto liberata eſt morbo praegreſſo.

Juxta SCHLIERBACHII obſervationem [46]) virgo poſt refrigerium ſuppreſſis menſibus hydropica evaſit: in progreſſu vero morbi expellitur per vaginam hydatidoſa mola, quam cum pulmonum ſubſtantia auctor comparavit, appenſis veſiculis pellucidis.

Femina quadraginta octo annorum, per ſex annos, et quod excurrit, ſterilis, tribus continuis menſibus gravida aut hydropica putata, parturientium tandem doloribus corripitur, quo facto extruduntur e genitalibus hydatides copioſae. [47])

Muliercula ſuecica, hydrope, anxietate, palpitatione cordis, doloribus per totum corpus vehementibus cruciata, uſu lichenis islandici continuato tantum denique profecit, ut maſſa evacuaretur hydatidoſa, ovis piſcium ſimilis, quae hydatides veras fuiſſe recte judicavit obſervator SPÖRINGIUS. [48])

THEORIA HYDATIDUM.

Ut theoriam harum veſicularum rite proponamus, ad varias primum ſententias reſpiciendum eſt, quas de hoc morboſo phaenomeno auctores protulerunt. Videamus deinde, quid ex quavis ſententia retinendum, quid ſit vituperandum.

Prima, eaque a pauciſſimis tamen defenſa opinio eſt, quae, ovula ipſa eſſe, ex ovario detruſa atque utero adhaerentia has veſiculas, docuit.

Ad-

45) Act. nat. curioſ. vol. VI. obſ. 89. p. 310.

46) *Ib.* vol. VII. obſ. 61. p. 215.

47) WATSON in philoſoph. tranſact. Y. 1741. n. 460. p. 711.

48) Abhandl. der ſchwed. Akademie der Wiſſenſchaft. J. 1743. B. V. S. 246. f.

Ad quam quidem ſententiam ſtabiliendam, ſimilitudo ovulorum cum hiſce veſiculis occaſionem praebuit. Auctor anonymus obſervationis citatae, [49]) medici pariſienſes apud MAURICEAU, [50]) ipſe VALLISNIERI denique [51]) calculos ſuos huic opinioni dederunt. Et veritati quidem proximum videtur, hydatides in ovario ſaepiſſime generatas ex ovulis depravatis originem petere, cum congeſtio ſeroſorum humorum verſus ovarium et depravatio, laxitas denique vaſorum ovarii eodem conferant. [52]) Prima quoque ſpecies hydatidum a nobis ſtabilita, cum ovulo ipſi juncta ſit, atque hoc maxime expanſum et dilatatum conſpiciatur, ex hoc fonte manare jam ſupra monuimus. Degeneratio itaque ovi ipſius hydatides illas, quas primo loco deſcripſimus, generat: neque tamen haecce theoria ad alias ſpecies applicanda eſſe videtur.

Ex placenta vero praeprimis ipſa oriuntur hydatides. Quod cum innumeris fere obſervationibus confirmatur, alii medici ad glanduloſam placentae naturam, atque ad depravationem ſucci glandularum reſpexerunt, ut hydatidum geneſin explicarent, alii ad vaſorum lymphaticorum dilatationem; plurimi ad vaſorum ſanguiferorum mutationem; alii denique ad vermium praeſentiam confugerunt, ut hydatides ex iisdem derivarent.

Quod originem ex glandulis placentae diſſolutis attinet, MALPIGHIUS auctor fuit opinionis illius, quae corporis animalis organa omnia ex glandulis conflata, atque in glandulas reſolvi aſſumeret. Hinc idem quoque hydatides, ab ipſo obſervatas, in tela celluloſa ac glanduloſa ipſa ſedem habere ac ex glandularum parenchymate evolvi arbitrabatur. [53]) Defendit eam quoque ſen-

49) Breslauer Sammlungen, J. 1720 S. 214.

50) Obſ. 377. p. 314.

51) Act. nat. curioſ. vol. I. obſ. 166. p. 363.

52) SCHACHER de virgine aſcitica, in HALLER diſſert. pract. vol. IV. p. 336.

53) MALPIGHII Oper. poſthuma, p. 65. (ed. Amſterd. 4. 1698.)

ſententiam immortalis BOERHAAVIUS: [54]) ipſe denique RUYSCHIUS, [55]) qui inde eamdem demonſtrare conatus eſt, quod maximae quidem hydatides haudquaquam in maximorum placentae vaſorum vicinia, ſed variis paſſim locis generentur. Quodſi vero ex vaſis forſan dilatatis gignerentur, in maximis ſemper vaſis ſedem haberent maximae molis hydatides. Sed quantopere poſtea mutaverit ſententiam celeberrimus naturae ſcrutator, mox videbimus. Ex glandulis inflatis hydatides derivavit LE CATIUS, [56]) ex tumoribus glandularum aquoſis BREHMIUS. [57]) Imo HALLERUS ipſe credidit ex atheromatum, aliorumque tumorum glanduloſorum connubio cum hydatidibus optime poſſe explicari hydatidum ex glandularum tumoribus aquoſis originem, idque ſpeciatim phaenomenon, quod minor ſaepius veſicula majori incluſa ſit. [58])

Uberius tamen hanc opinionem refutare ſtuduit HAENIUS, eaque protulit iſti contraria argumenta, ut aſſentiri ipſi omnino debeamus. [59]) Cumque HALLERUS jam probavit, nullas plane eſſe in placenta humana glandulas: [60]) aliasque in aliis partibus hydatides ex glandularum morbis, tanquam ex cauſa proxima haudquaquam poſſe explicari; HAENIUS inde effecit, quod longe alienam inveniamus indolem glandularum, ſi vel tumefiant vel depraventur. Poſſe tamen glandularum tumores cauſſam remotam praebere, qua hydatides producuntur, mox monſtrabimus.

Ex

54) Ep. ad RUYSCH. de fabric. glandular. p. 40.

55) Obſerv. 33. p. 44.

56) Philoſ. transact. Y. 1741. n. 460 p. 713.

57) De hydatidibus in HALLER. diſſ. pract. vol. IV. p. 259. 260.

58) HALLER. element. phyſiolog. vol. II. p. 391.

59) HAEN's Heilungsmethode, B. III. Th. VII. K. 3. S. 309. f.

60) HALLER. element. phyſiolog. vol. VIII. p. 230.

Ex vaſis itaque lymphaticis placentae dilatatis alii hydatides derivare ſibi ſumſerunt, quia alibi etiam hydatides proveniant, ubi vaſa obſtructa ſint. FABRICIUS [61]), BIDLOOUS [62]), POHLIUS [63]), ASTRUCIUS [64]), cum varicibus venarum hydatides comparantes, hanc theoriam praeprimis defenderunt. HAENIUS vero et HALLERUS ideo potiſſimum rejecerunt hanc ſententiam; quia ſolitariae alioquin eſſe deberent hydatides, cum inter binas vaſis lymphatici valvulas dilatatio unica contingere poſſit; quia manifeſto ſaepius ex vaſis ſanguiferis ortae videantur et ex iis a materia injecta repleri poſſint; quia etiam rubellus nonnunquam humor hydatides repleat, ex vaſis ſanguiferis in easdem effuſus; quia denique ſaepius major hydatis minorem contineat, aut ſeparatae aliquot hydatides ab aliis libere circumnatent. HALLERUS praeterea multo latius patere hydatidum ſedem, quam ſyſtematis lymphatici, addidit, cerebri exemplo et placentae uterinae. Prae nobis tamen ferendum, vaſa cerebri lymphatica, licet ubique in hoc viſcere aperte demonſtrata non ſint, videri tamen non deeſſe, cum CRUIKSHANKII et SCHREGERI inquiſitionibus luculenter ſatis oſtenſum ſit, capitis internas partes etiam adire vaſa lymphatica; quorum et exiſtentiam et diſtributionem effecit, deſcripſit et delineavit immortalis ſyſtematis lymphatici conditor MASCAGNI. [65]) Quod placentam uterinam attinet, vaſa lymphatica neque demonſtratu neque aſſumtu facilia ſunt, cum functiones foetalis placentae partis requirere vaſa lymphatica non videantur. Etenim venarum umbilicalium ramuſculi abſorbent humores ex arteriis maternae partis in parenchyma placentae excretos, neque immediatus inter utramque placentae partem nexus adeſſe

61) Act. nat. curioſ. vol. X. obſ. 36. p. 121.

62) Exercitat. anatom. chirur. II. p. 11.

63) De hydrope ex hydatidib. in HALLER. diſſ. pract. vol. IV. p. 271.

64) Von Frauenzimmerkrankheit. Th. III. S. 293.

65) MASCAGNI überſ. von LUDWIG S. 96.

adeſſe videtur: qui ſi adeſſet, lymphatica vaſa ſuperflua omnino non forent, ſed ſumme proficua. [66])

Cum vero ſaepius extra graviditatem utero adhaereant hydatides, quaerendum eſt, an et hae abſque vaſorum lymphaticorum morbis poſſint explicari. Laeſio externa, lapſus in uteri regionem fecit aliquando nonnihil ad hydatides producendas, [67]) quod quidem ſine dilatatione aut ruptura vaſorum uteri ipſius lymphaticorum, quae numeroſiſſima eſſe ſupra monuimus, fieri poſſe, negamus.

Magis tamen ad vaſorum ſanguiferorum dilatationem morboſam et ad effuſionem ſanguinis depravati, ſeroſi in vaſa ſanguifera ipſa et placentae et uteri reſpiciendum. Negavit quidem VALLISNIERI, [68]) hydatides cum vaſis ſanguiferis cohaerere, rubrumque colorem, qui ſaepius in veſiculis his animadvertatur, a remanente intra rugas grumo ſanguinis derivavit. Egregie tamen RUYSCHIUS oſtendit, vaſa ſanguifera placentae vere tranſire in hydatides, [69]) atque ex placenta in utero poſt partum relicta, quae ſero tandem a naturae viribus mota expellatur, poſſe optime declarari ortum hydatidum. Confirmat RUYSCHII opinionem immortalis HALLERUS, [70]) confirmat ALBINI memoratu digniſſima inquiſitio, qua ſolutiora vaſa placentae, aberrantes vero truncos

66) Cf. SCHREGER fragm. anatom. et phyſiol. faſc. I. p. 27. 38. — MICHAELIS obſervat. circa placentae ac funiculi umbilicat. vaſa abſorbent. 8. Götting. 1790. — MÜLLER phyſiol. ſyſtem. vaſor. abſorbent. p. 23. (4. Lipſ. 1793.) — MECKEL ad BAUDELOCQUE, Th. I. S. 295. 296.

67) LITTRE dans les mémoires de l'academ. des ſcienc. à Paris ann. 1715. p. 9.

68) Ephem. nat. curioſ. dec. II. ann. 9. obſ. 38. p. 76.

69) RUYSCH. adverſ. anat. dec. II. n. 10. p. 32.

70) Opera minora, vol. III. obſ. 49. p. 344.

truncos ramoſos de chorio pendulos, qui in hydatides terminarentur. [71]) Confirmat denique hanc ſententiam WRISBERGII tentamen iniiciendi hydatides, quod felici ſucceſſu praeditum fuit. [72])

Veroſimillimam reddunt hanc opinionem ea quae mola, a nobis exhibita ratione decurſus vaſorum ad hydatides procedentium, declarat. Nec ſilentio praetereunda ſunt, quae REUSSIUS circa has hydatides in novis obſervat. circa ſtruct. vaſor. in placenta humana et pecul. hujus cum utero nexum Tubing. 1784. habet; eas nempe a valvulis vaſorum, tam arterioſorum quam venoſorum placentae vel effici, vel ſaltem augeri. Auctum exinde valvularum ipſarum volumen egregie expoſuit Fig. II. Tabulae Obſervat. annexae, uti et valvulas directione ſibi oppoſitas, quarum ope modum nexus mediati foetum inter et matrem Fig. IIIia explicavit. Rem omnem efficere, data hacce opportunitate, omnino in votis fuiſſet; propter temporis anguſtiam aliqua tantum pericula a nobis inſtituta fuere, quorum eventus is fuit, ut immiſſo in vaſcula chorii molae hydatidicae tria tubulo; mercurius vivus in hydatides eleganti ſpectaculo ſe diffuderit, ita tamen ut non omnes racemum efficientes veſiculae repletae fuerint, neque facile mercurius a trunco in ramos perrexerit, imo nonnunquam in trunco ipſo ſub progreſſu ſiſteretur; nec niſi leni preſſione ultra urgeri potuerit. Quae, licet pauca, tamen continuam e vaſis ſanguiferis in hydatides viam evidenter adeſſe; valvularum praeſentiam, quam et repleta mercurio portio molae hydatidicae, quam nunc intuemur, quoad habitum externum loquitur, eo veroſimilem fieri, docent.

Hinc ex conſtitutione mulieris pituitoſa et ſeroſa, [73]) ex ſeroſorum et aquoſorum humorum verſus uterum congeſtione, ex depravata inde pendente

71) ALBINI annotat. academ. lib. I. c. 18. p. 69.

72) Nov. Comm. Gött. vol. IV. p. 72.

73) HUFELAND's Annalen der franzöſiſchen Arzneykunde, Th. II. S. 244.

dente foetus nutritione, et mala ejusdem evolutione declarari poſſe hydatidum ortum, patet. Hinc etiam tumores glandularum uteri, ſcirrhi, atheromata, aliaque glandularum mala cum hydatidibus uteri ſaepius juncta ſunt, cum preſſione horum tumorum ſtaſes oriantur ac dilatationes vaſorum. Non ſine jure itaque GOTTWALDIUS molam veſicularem eſſe ovum imperfectum arbitratur. 74)

Alia tamen in medium proferenda hydatidum cauſa, eaque animata. Vermibus generari hydatides, TYSONIUS obiter monuit, nec tamen ſatis bene expreſſit naturalem hiſtoriam vermium eorundem. 75) HALLERUS hanc opinionem flocci pependit, neque ullo modo eam ſtatui poſſe autumavit. 76) Eximie tamen meritus eſt de hac hiſtoriae naturalis parte GOEZIUS, qui indefeſſo prorſus ſtudio naturae adyta rimans, in placenta humana hydatidoſa vere et manifeſto vermes detexit: 77) quos et in aliis corporis humani hydatidibus HUNTERUS invenit. 78)

Vermium hoc genus TAENIAE VESICULARIS nomine GOEZIUS inſignit, ipſumque habitare in veſica propria ex integumentis corporis humani formata, ſub qua quidem glauca adhuc ac interna adſit membrana lympham continens. Caput vermis quadrioſculatum, duplici corona uncinata cinctum, corpus rugoſum. Haec quidem vermis deſcriptio diſtinguit eumdem a ceteris omnibus vermibus haud armatis. Salva tamen tanti viri auctoritate, nomen genericum TAENIAE adaequatum omnino eſſe, valde dubito: quippe cum praeter os quadrilobum nihil cum taenia commune habeat. Corpus enim

neque

74) Ephem. nat. curioſ. dec. III. ann. 9. 10. obſ. 159. p. 289.

75) LESKE's Auszüge aus den Naturhiſtor. Abhandl. in den philoſoph. Transact. B. I. S. 110.

76) Elem. phyſiol. vol. II. p. 392.

77) GOEZENS Naturgeſchichte der Eingeweide-Würmer, S. 196.

78) RICHTERS chirurgiſche Biblioth. B. XIII. S. 148.

neque articulatum; neque ſimplex, ſed duplex uncinorum corona orificium cingens: praeterea vero corpus globoſum, veſicula incluſum, maximum facit diſcrimen inter taenias et noſtrum vermium genus. HYDATIGENAE itaque nomen huic generi magis congruum eſſe videtur.

Eumdem quem GOEZIUS, vermem in utero hydatidibus obſeſſo, obſervavit quoque anonymus in collectione BALDINGERI. 79)

Neque tamen omnes hydatidoſi tumores ex vermium horum nidulis explicandi eſſe videntur, quod GOEZIUS quoque conceſſit. Hydatides animatae magis flaccidae, parum rugoſae ſunt, cum duobus ſibi proxime contiguis involucris, propria vermis et membrana a corporis humani involucris pendente, lympha comprehendatur. Hydatides vero ab aliis cauſſis oribundae, multo magis elaſticae, duriores, ferme cartilagineae ſunt, et lympha uberrima praeter naturam expanduntur. 80) Deinde etiam ad glaucum internae membranae, quae veſicam globoſam conſtituit, colorem reſpiciendum, cum glauca ſit membrana interna in hydatidibus animalis, limpida vero et aquei coloris involucrum hydatidum ab aliis cauſſis productum. Glaucum illum colorem VALLISNIERI jam vidit, unde hydatides vere animatas fuiſſe, quas ipſe obſervaverit, patet.

Ex hiſce itaque fontibus explicanda hydatidum theoria, in qua ſi quando lapſus fuero, largiantur benigni lectores hoc juveni literarum non plane rudi, uſu tamen atque experientia haudquaquam ſatis conſpicuo.

79) Neues Magazin für Aerzte, B. VI. S. 358.

80) GOEZE S. 192.

THESES.

1. Medicamina ſic dicta ſedantia irritando agunt.
2. Dantur omnino febres topicae.
3. Male confunduntur ab auctoribus ſcrofulae, ſtruma et bronchocele.
4. Contagia permutando ſolidum vivum agunt.
5. Paſſio a congeſtionibus orta activis gradu tantum ab inflammatione differre videtur.
6. Febris ſic dictae puerperalis natura eſt inflammatoria.
7. Stimuli quamcunque in corpore mutationem producere apti ad cauſſas pertinent remotas.
8. Signum graviditatis certum eſt motus embryonis.
9. Sunt omnino utero fibrae muſculares.
10. In conſolidandis ulceribus non ſolum ad eorundem originem, ſed etiam ad tempus, quo duraverint, reſpiciendum eſt.
11. Cirſocele duplex, vel in dilatata vena ſpermatica ipſa, vel in dilatatis corporis Highmoriani vaſis ſedem habet.
12. Luxationes oſſis femoris, quae lente oriri dicuntur, plerumque e luxationum numero relegandae eſſe videntur.

AL

AL S^RE DI GREGORINI.

Non scartabellata solamente, anzi accortamente studiata la di Lei dissertazione, di gioja il cuor mi trabocca, avendo Ella maneggiato così adeguatamente un siffatto soggetto malagevole ed intralciato. Fatto stà, al mio parere, che Ella, particolarizzando specialmente di questa malattia i segni, gli ha lumeggiati di modo, che ognuno potrassi oramai procurare una bastante conoscenza di esso morbo. Comechè io mi sia sdebitato, riguardo a questo trattato, di quanto Le promisi, cioè di ripulir un pochino le espressioni e di vegghiar ſopra la giustezza della stamperia, è però a Lei, che conviene l'onore del lavoro istesso e del profitto che ne tireranno i giovani, nella nostra arte principianti.

In conseguenza della qual coſa ha Ella altresì ben meritato l'onor ſommo, che stà la facoltà per conferirle: donde Ella è anche degnissimo per molte altre cagioni: perchè rare volte si vede un giovane, il quale, soverchiando ogni ritegno, si sia approfittato tanto nella medicina, e chi abbia studiato con tanto ardore, quanto Ella ci ha mostrato. In sostanza ognuno di noi altri professori della facoltà La conosce e La stima ugualmente: frattanto al pari di me niuno può amarla svisceratamente, avendo io avuta occasione quasi ogni giorno, di godermela con Lei e d'imparar a conoscere la garbatezza de' Suoi costumi e l'amabilità del Suo cuore. Laonde fra poco tempo una tanta dimestichezza tra noi succedette, che non potemmo stare, nemmeno un giorno, l'uno senza l'altro. Che che ne paja altrui, ho ſempre trovato, che del mio amore verso di Lei l'unica cagione sia la schiettezza e bonarietà del suo carattere, le quali guidato L'hanno semper sul cammino della virtù e del diritto. Ora compita che ha la di Lei carriera accademica, son' certo, che nel dubbio cammino della pubblica vita, dove il senno e la ragione tante volte si smarriscono, l'innocenza e la candidezza del suo cuore tuttavia il di Lei sentiero rischiareranno. Quanto all' esercizio dell' arte, eziandio sonn' persuaso, che Le riuscirà bene, non mancandole l'ingegno e la destrezza, di che bisogna che molti altri stiano privi, comunque abili e dotti giovani essi si siano. Bensà che le riuscíte delle fatiche e cure nostre non danno verun merito nè veruna preferenza al medico: altrimenti

— — il mastro Salasso,
cavadenti perfetto e ciurmatore,
che vende pallotte, e polveri e brachieri,

altrin-

altrimenti colui sarebbe il miglior medico di questo mondo. Ma la penetrazione, con cui si approfonda la natura e le cauſe delle malattie, assoda la vera gloria del medico: e la coscienza di aver servita l'umanità, conforme il nostro sapere e giusta la misura delle nostre forze, questa è l'unico guiderdone, donde è regalato il medico schietto e candido. Esso guiderdone anch' Ella ha già talora sentito, e lo sentirà sovventemente, ad ontà di tutti gl' impacci, che si alzeranno contro le di Lei buone intenzioni. Mai non perderà Ella d'occhio la gran mira dell' arte nostra, cioè il sollievo delle pene dell' umanità: allora anch' Ella non starà mai senza la benedizione, chè siegue la fedeltà nelle nostre fatiche. Iddio, il quale il cuor gradisce, ed a cui serve, chi 'l suo dover compisce, la benedica, e Le largisca la felicità verace, la quale nasce dall' adempiere i nostri doveri. Stia bene, carissimo Gregorini, e si rammenti sempre della nostra amicizia. Hala, a' 5 April. 1795.

KURT SPRENGEL.

GREGORINI SUO

S. P. D.

DEMETR. ZAPHYRIDES.

Quum ſemper, ſi quid feliciter proſpereque TIBI contigerit, maximum ego una cum omnibus, qui TE amore proſequuntur, gaudium ac voluptatem percipiam: dubitare profecto non poteris, quin ego effuſiſſimo gaudio perfundar hodierno laetiſſimo ſane die, quo occaſio TIBI oblata eſt edendi ſpeciminis indefeſſae TUAE et ſingularis induſtriae in literarum et potiſſimum in divino Medicinae ſtudio laudabiliter adhibitae. Quidni enim gaudeam, quum ad patriam, quae nobis communis eſt, et ad literarum ſtudia, quae nobis communia ſunt, vinculum accedat arctiſſimum, nimirum amicitiae, quam, ex quo TE cognovi, uterque noſtrum ſancte et inviolate ſemper coluit!

Nil

Nil autem hoc die tam ſolemni magis, a numine illo coeleſti precor et rogo, quam, ut TE ſartum et tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento atque moleſtia, ſincerum integrumque ad ſupremam usque aetatem conſervet, quo ſtudia TUA reipublicae diu reperiantur ſaluberrima. Sit rerum TUARUM ſtatus ſemper fortunatiſſimus florentiſſimusque. Quod reſtat, TUUM amorem, quem maximi facio, ut et in poſterum mihi conſerves, iterum ac ſaepius rogo. Ego vero omnem ſemper operam in eo figam et collocabo, ut, quanti TE aeſtimem, et TU et alii manifeſtis documentis cognoſcant.

Vale, GREGORINI doctiſſime, et res TUAS age feliciter. Scripſi Halae in Academia Fridericiana, die X. Aprilis MDCCLXXXXV.

GERASIMO GREGORINI

AMICO DILECTISSIMO

S.

O. CHR. ROSENBERG

Cuncta fluunt, nihil eſt perſtans in orbe; jamjam excurrit tempus, nimis fugax, quod nobiscum peregiſti. Ex iis es, quod hic profiteor, laetus quod Ipſe non negabis, quibuſcum arctioribus vinculis me dextra fortuna conjunxit. En finem jam conjunctae familiaritatis, quo verſabamur hucusque, at nequaquam finem etiam amicitiae noſtrae, trita viâ merae longioris conſuetudinis atque communis ſtudii haud contractae, et ſola ſejunctione haud certe dividendae.

Gratulor, Doctorande doctiſſime, adoleſcens plurimum dilecte, ex imo pectore congratulor TIBI, quod honores tandem attigeris, tam diu meritos. Tu qui tot adminiculis eras deſtitutus, cui tot obſtabant impedimenta, ut progreſſus TUOS morarentur, ſatis fortes, aſſiduitatis, ingenii acuminis ope, nec non ſcientiarum

acri

acri amore tot alios ſuperaſti. Satis, Vir doctiſſime, ſatis monſtraſti, TE, quae generoſe TIBI propoſueras, nobili modo, praenobiliſſima pertinacia, aſſecutum eſſe. Haud ſane invita agreſſus es minerva difficultates. Graecus es; fert fructus ingenium Tuum beati illius ſoli, omnibus quaevis venuſta ſunt, quae pulchra, exornati quondam majorum Tuorum auſpicio: ubi, quaſi incunabulis artes ſcientiaeque juveniles fovebantur; ubique et noſtri praeprimis ſtudii primum enaſcebatur tenerrimus flos. Maturuerunt pulchri hi fructus opera ſtudioque TUO. Large ditatus es, majorum digne haeres; manibus eorum, ut pie grates ſolvas, TUI eſt. Grates referas etiam viris illis, quorum auſpicio, quibus ducibus ſtudium tam bene ſucceſſit, qui naturae aenigmatibus diſſolvendis operam dant indefeſſam, et quibus conantibus egregie omnia eveniunt: et illi inprimis, quo uſus es vere amico, quique docentis vices oblitus, ſola utilis atque veri alta ſuperbia correptus, ſcientiis atque diſcentibus prodeſſe adfectat.

Sufficiant haec, ut intelligas, quae ſentiam; reſtant plura pectori alte recondita. Reliquo commixtus cum ſalutatorum grege, veritus ſum, ne diſpaream, quare amicitiae noſtrae exiguum hocce monumentum hic ponere ſtatui. Quamvis jucundum hoc munus palam perficiendi longe deſideratam mihi dederis facultatem, hic potius eo perfungi malo, ne verba diffundendo amicitiae detrahatur ſanctitati. Senſationibus id proprium eſſe, ut major ipſarum vis nonnumquam os praecludat, non ignoras.

Ubique terrarum vitae ratem devehat irreparabile fatum, utinam ſis felix ubicunque mavis, et noſtri memor vivas! ! Scripſi Halae. prid. non. April. MDCCXCV.

Tab.



Tab II



VOIGTEL (Friedrich Wilhelm)